4.3.411

4 I 3

XXXVII

TAMAGN

HISTORIA
MONOTHELITARUM.

CELEBRIS HISTORIA MONOTHELITARUM atque HONORII CONTROVERSIA

Scrutiniis octo comprehensa.

OPUS POSTHUMUM

JOANNIS BAPTISTÆ TAMAGNINI, *Veneti, Philosophiæ & Theologiæ Doctoris ac Professoris.*

BIBLIOTHECA PUBLICA

PARISIIS,
Apud LUDOVICUM BILLAINE.

M. DC. LXXVIII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

CLERICI HISTORIA

MONOTHELITARUM

SIVE

HONORII

CONSTANTINOPOLITANI

PAPÆ

DEFENSIO

SSSSSSSSSSSSSSSSSSS

TYPOGRAPHUS LECTORI.

EN tibi, LECTOR, redivivam brevem hanc Historiam Monotheliſmi per aliquot annos ſuo auctore jam conſepultam: & licèt hæc controverſia per quamplures fuerit laudabiliter pertractata; attamen non contemnendos fore hos quoque noſtri Auctoris labores in tanta ſententiarum varietate, ſapientum calculo dijudicatum eſt. Vixit Auctor diu Romæ, tantumque profecit in ſeverioribus diſciplinis, ac eruditione, quà ſacrâ, quà profanâ, ut de ipſo Franciſcus Barberinus, ac Sfortia Pallavicinus, S.R.E. Cardinales eximii, ſummam expectationem conceperint. Verùm dum majora his molitur, ac Operi jamjam manum admovet, immatura morte præripitur

ipso juventutis flore, relicto sui apud omnes non mediocri desiderio. Quare si quid in hoc Opusculo minùs vel expolitum, vel accuratum offenderis, doleas commune fatum librorum illorum, qui proprio Auctori superstites, typis mandantur.

PRÆFATIO AUCTORIS.

EX ipso titulo satis, opinor, deprehendis dignitatem argumenti, quod in hoc Opusculo tractandum aggredior. Evolvitur hîc Historia hæresis Monotheliticæ, quam dubio procul inter Ecclesiæ nobiliores arbitror esse reponendam: cùm tot ea sit referta mirabilibus eventibus, funestis Martyrum tragœdiis, arcanis Hæreticorum fraudibus, & ardentissimis diligentiis Orthodoxorum; ut vix alia possit in medium proferri, in qua ita viriliter sit utrinque dimicatum, conantibus aliis, iisque & dignitate, & doctrinâ, & potentiâ celeberrimis, ut Monotheliſmus immobiliter radicaretur; aliis verò non paucioribus,

nec minùs ſapientiâ, nobilitatéque conſpicuis, validè obnitentibus, ne tanta peſtis Orthodoxos invaderet.

Examinatur inſuper Honorii controverſia, in qua ita fortiter pugnatum eſt, elapſo ſæculo naſcentis Lutheraniſmi, & emergentium Novatorum, ut doctiſſimi viri, nec admodum pauci, pretioſos ſudores effuderint in Honorii, ſeu veriùs in Sedis Apoſtolicæ defenſionem, quam Hæretici conabantur peſſumdare non ſine ingenti temeritate. Nec deſunt noſtris hiſce temporibus homines non contemnendæ eruditionis, qui noctes laudabiliter agunt inſomnes, ut reviviſcentem controverſiam, & familiarem in colloquiis eruditorum penitus compeſcant. Horum ego ſecutus exempla, hoc Opuſculum elabora-

vi, potiùs ut in re tam difficili mens proprio labore defeſſa requieſceret, quàm ut placerem aliis, aut inde laudes aucuparer.

In hac verò Honoriana controverſia illud imminet periculum, quod in quæſtionibus de gratia & libero arbitrio ſanctus Auguſtinus obſervavit contingere. Sicut enim defendentes arbitrium, labefactare videmur cum Pelagianis gratiæ valorem; & gratiam extollentes, enervare cum Manichæis vires arbitrii: ſic ſi ſextam Synodum, ut par eſt, defendamus, detrahere putamur infallibilitati Pontificum, reponentes Honorium inter Hæreticos ab illa damnatos; ſi majeſtatem Honorii, & ejuſdem orthodoxiam propugnemus, Synodorum auctoritatem judicamur evertere: quorum utrumque, utpote fidei

æquè pernicioſum execramur.

Noſtrum igitur præcipuum ſtudium illud erit, ut Honorii vindicetur Orthodoxia, ejúſque epiſtolæ ſuperſtites in actis ſextæ Synodi Catholicæ probentur: ſimul tamen, vt infallibilitas Conciliorum mordicus aſſeratur, & caſtitas ſextæ Synodi in facto Honorii probabiliter admittatur. Nec deerunt, Deo duce, ſufficientia fundamenta ad utrumque ſatis bene copulandum.

INDEX SCRUTINIORUM.

SCRUTINIUM I.

In quo expenduntur initia hæresis Monotheliticæ. à pagina 1. ad pag. 28.

SCRUTINIUM II.

In quo afferuntur conatus Monothelitarum, & Orthodoxorum constantia in rejiciendo Monotheliſmo usque ad obitum sanctorum Martini atque Maximi. à pag. 28. ad pag. 97.

SCRUTINIUM III.

In quo reliqua Monothelitarum deliramenta expenduntur, necnon Catholicorum vigilantia in iisdem eludendis. à pag. 97. ad pag. 139.

SCRUTINIUM IV.

In quo enucleatur formalis hæresis Monothelitarum. à pag. 139. ad pag. 173.

SCRUTINIUM V.

In quo vindicantur Honorii epistolæ ab errore dogmatis. à pag. 173. ad pag. 210.

SCRUTINIUM VI.

In quo probabiliter ostenditur, Honorium fuisse de facto damnatum à sancta sexta Synodo. à pag. 210. ad pag. 252.

SCRUTINIUM VII.

In quo examinatur justitia anathematis in Honorium inflicti. à pag. 252. ad pag. 299.

SCRUTINIUM VIII.

In quo aperiuntur leviores Honorii lapsus, & nævi quidam epistolarum ejusdem. à pag. 299. ad finem.

CELEBRIS

CELEBRIS HISTORIA

MONOTHELITARUM,

atque

HONORII CONTROVERSIA

Scrutiniis octo comprehensa.

SCRUTINIUM I.

In quo expenduntur initia hæresis Monotheliticæ.

Summa Scrutinii.

§. 1. *Non pauci ex hæreticis ante tempora Heraclii Imperatoris unam tantùm in Christo posuere voluntatem.*

§. 2. *Examinantur ergo quo sensu Monotheliſmus incœperit sub Heraclio.*

§. 3. *Aperiuntur exordia Monotheliſmi; ac primò congressus Heraclii cum Paulo Severiano.*

§. 4. *Deinde examinatur congressus alter*

SCRUTIN. I.

cum Athanasio Iacobita; & probantur invicem distincti.

§. 5. *Agnoscitur Sergius Constantinopolitanus parens nascentis Monotheliſmi.*

§. 6. *Vindicaturque Sophronius Hierosolymitanus ab aliquibus calumniis Monothelitarum.*

§. 7. *Ostenditur etiam qua Sergius facilitate potuerit illaqueare Imperatorem & Episcopos Orientis.*

§. 8. *Demum indicantur quantænam esset Sergius auctoritatis apud Patres Orientales.*

Plures hæretici ante tempora Heraclii, in Christo ponunt unam voluntatem.

§. 1. NON est animus, diutiùs immorandi in texendo veteri Monotheliſmo. Nil enim, me judice, Lectoribus injucundius, quàm longum agmen effundere hæreticorum, qui cælestem Hierosolymam, hoc est, veritatem Catholicam demolientes, de duplici in Christo naturali voluntate & operatione confusam Babylonem, scilicet hæresim vnius voluntatis atque operationis constituxerunt. Quamvis enim mihi conscius

sim, hæreticos non paucos, longè dis- SCRUTIN. I.
sitos à temporibus Imperatoris Heraclii, multoque magis ab Honorii primi Pontificatu, errorem istum professos esse: adhuc tamen eos omnes juvat epilogo retexere, & brevibus lineis comprehendere cum sancto Papa Agathone in epist. ad Constantinum, relata act. 4. sextæ Synodi: *Ariani, Apollinaristæ, Eutychianistæ, Timotheiani, Acephali, Theodosiani, & Gaianitæ, & omnis omnino hæreticus furor, sive confundentium, sive dividentium Incarnationis Christi mysterium, eo quòd Deitatis & humanitatis Christi unam naturam dicant, unam eum, sicut unius, voluntatem & operationem personalem habere contendunt.* Quisquis autem his non contentus, digestiora desiderat, consulat oportet Concilium Lateranense sub Martino primo, & Concilium sextum œcumenicum sub Agathone celebratum in hoc Monothelitarum negotio, ubi pro errore unius in Christo voluntatis & operationis effusa reperiet hæreticorum agmina, iisdemque objectas sanctorum Patrum cohortes, qui non minori conatu, exitu tamen longè feliciori, geminas in Chri-

SCRUTIN. I.

sto tuentur cum voluntatibus naturales operationes.

Quo sensu veteres hæretici unam in Christo ponerent voluntatem.

§. 2. NON hîc tamen arbitror omittendum, veteres Monothelitas (veteres appello, qui ante tempora Heraclii & Honorii virus hujusmodi evomuerunt) non in id unquam principali conatu incubuisse, ut geminam à Christo expungerent voluntatem: si verò quandoque id docuerunt, *ex consequenti*, hoc est, ex aliis erroribus deducebant. Unde Monothelismus tunc temporis dici meritò non poterat peculiare schisma, vel hæresis. Patet id abundè ex nuper adductis verbis sancti Agathonis, à quibus edocemur, veteres Monothelitas unam ideo in Christo ponere voluntatem & operationem, *eo quòd Deitatis & humanitatis Christi unam naturam dicant.* Quod ipsum, adhuc manifestiùs, explicat Severus hæreticus, ex cujus verbis clarum erit, quo sensu, quave de causa prædicarent in Christo unam operationem veteres hæretici. *Anathematizamus* (sunt verba Severi relata tum in epistola citata Agathonis, tum in Synodo Lateranensi sub Martino secret. 2.) *Synodum Chalcedonensem, & tomum*

Leonis Præſulis Romanæ Eccleſiæ, & eos qui dicunt vel dixerunt in duabus naturis unum Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM *poſt ineffabilem & incomprehenſibilem unitionem, & ſequenter earum duas operationes aut proprietates.* Liquet ex his ſcopum Severi hunc eſſe, ut geminas à Chriſto excluderet naturas: quia tamen *ſequenter* fiebat, ut cum naturis excluderentur etiam operationes & proprietates, eas etiam meritò ejecit. SCRUTIN. I.

Nobis igitur conſultius erit in hoc Scrutinio exordia tantùm repetere peculiaris Monotheliſmi, per quem geminis in Chriſto admiſſis naturis, adhuc duæ negabantur in eodem & voluntates & operationes. Hunc igitur incœpiſſe temporibus Heraclii, nullus ambiget, dummodo primis labiis ſacras deguſtarit Hiſtorias. Et licèt ſanctus Abbas re non minùs, quàm nomine Maximus in dialogo cum Pyrrho, & in collatione cum Theodoſio Epiſcopo Cæſareæ, necnon ſancta ſexta Synodus act. 13. conſignent exordia Monotheli-tarum ad Conciliabulum illud Alexandrinum habitum per Cyrum, ad illud, inquam, in cujus capitulo 7. una pa-

Monotheliſmus incœpit ſub Heraclio Imperatore.

SCRUTIN. I. Iam in Christo decreta fuit Dei virilis voluntas & operatio: tamen adhuc non licet vel leviter ambigere, quædam semina novi Monotheliſmi ſparſa hàc illàcque furtim fuiſſe ante dictum Conciliabulum, ex quibus poſtmodum palam pullulaverint in Eccleſia tumultus & diſſenſiones rigidis evellendæ remediis, ſed omnino neceſſariis; eo vel maximè, quòd cauſa hæc ſpectare videretur ad omnes pæne veteres hæreticos, qui ſub ſpecioſo prætextu unionis ſcindere & lacerare conabantur Eccleſiam, & Concilium Chalcedonenſe. Unde habito illo per Cyrum Conciliabulo, gaudium magnum ortum eſſe inter plurimos hæreticos, plus æquo debacchantes in veritatem, nobis Theophanes hiſce verbis ob oculos delineat. *Cùm Georgius Patriarcha Alexandrinus diem clauſiſſet, Cyrus Alexandriam Epiſcopus deſtinatur, junctuſque Theodoro Epiſcopo Faran frigidam illam fecerunt unionem, unam & ipſi ſcribentes in Chriſto operationem naturalem. quibus ita geſtis in magnum Synodus Chalcedonenſis, ac Eccleſia Catholica probrum incidit: quippe Iacobitæ, ac Theodoſiani* (idem arbitror

Hæretici debacchantur habito per Cyrum Conciliabulo Alexandrino.

de reliquis rivulis Eutychianiſmi, de Neſtorianis, deque alia fæce hæreticorum) *gloriabuntur dicentes, non ipſos Synodo, ſed eis Synodum Chalcedonenſem communicaſſe, quæ unam Chriſti naturam unius confeſſione operationis planè confeſſa eſſet.* Verùm ad fontes aperiendos Monotheliſmi, unde digreſſi ſumus, propiùs accedamus, duplicemque congreſſum Heraclii producamus in medium. SCRUTIN. I.

§. 3. CUM Heraclius Imperator anno ſui duodecimo Imperii moviſſet arma adverſus Coſrhoem Perſarum Regem, promoto jam anno tertio-decimo feliciter exercitu in partes Armeniæ, congreſſum illic habuit cum Paulo quodam hæretico Severiano: ibique inter alia habitus eſt invicem ſermo unius in Chriſto naturalis voluntatis atque operationis. Præſtat hoc ipſum reponere totidem Sergii verbis in epiſtola ad Honorium, quæ habetur in ſexta Synodo act. 13. *Ante aliquod certum tempus cùm adverſus Perſas confirmatus dominus noſter & magnus victor Imperator promovebat exercitum propter certamina à Deo ſibi creditæ Chriſto amabilis Reipublicæ, & ad partes Armeniæ provinciæ perveniſſet;* *Congreſſus Heraclii cum Paulo Severiano.*

SCRUTIN. I. *unus ex principibus impiæ partis Severi execrabilis, nomine Paulus, in illis locis apparens ad ejus pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda hæresi proferens, &c. Imperator verò recta atque immaculata è diverso protulit dogmata, interque & unius operationis Christi Dei nostri mentionem effecit, &c.* Huc usque Sergius in sua epistola.

Quo anno contigerit congressus Heraclii cum Paulo.

Quonam autem anno contigerit congressus hic Heraclii cum Paulo, divinandum potiùs nobis est, quàm judicandum. Appositè tamen Cardinalis Baronius illum consignavit ad annum tertium-decimum regnantis Heraclii, scilicet ab Incarnatione Christi sexcentesimum vigesimum-secundum. Et quidem Sergiana verba nuper adducta convincunt apertè, eum habitum fuisse, fervente adhuc bello cum Persis, & commorante Heraclio in partibus Armeniæ. Anno verò tertio-decimo Imperii Heraclium ascendisse in Armeniam, scribit Theophanes. *Heraclius anno Imperii sui decimo-tertio profectus à regia urbe, celeriter in Armeniam properavit.* Eademque totidem ferme verbis repetit Cedrenus, aliique Græcæ Hi-

ſtoriæ Compilatores. Quòd autem annus tertius-decimus Heraclii concurrat cum anno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo-ſecundo, ſatis etiam clarè deducitur ex eodem Theophane, cæteriſque Græcis Hiſtoricis. Nam annus duodecimus Heraclii coincidit per eoſdem cum anno Chriſti vigeſimo-primo poſt ſexcenteſimum, ut apertè tradit nuper citatus Auctor ad eundem annum duodecimum Heraclii. *Cùm ageret* (verba ſunt Theophanis) *Heraclius in Imperio annum duodecimum, & annus eſſet Domini ſexcenteſimus vigeſimus-primus, &c.* Igitur annus decimus-tertius ejuſdem conſignandus erit ad annum Dominicum ſexcenteſimum vigeſimum-ſecundum, ut etiam conſignavit optimè Card. Baronius. SCRUTIN. I.

§. 4. PRÆTEREA idem Heraclius anno vigeſimo Imperii, hoc eſt, anno ſalutis ſexcenteſimo vigeſimo-nono congreſſum alium habuit cum Athanaſio Jacobitarum, ut vocant, Catholico, viro callido, ac inter hæreticos ſatis celebri: in quo etiam congreſſu Heraclius, homo laïcus, actus inani zelo, nimiſque inconſultè res fidei pertra- *Alter congreſſus Heraclii cum Athanaſio Jacobita.*

SCRUTIN. I. ctans, spinas & tribulos peperit Ecclesiæ; usque adeo verum est, nimiam quandoque pietatem & zelum officere fidei. *Anno vigesimo Imperii Heraclii* (loquor cum Theophane) *Hormisda regnat in Persis. Cùm autem esset Heraclius apud Hierapolim, venit ad eum Athanasius Patriarcha Jacobitarum, vir acris & nequam ingenii, Syrorum inditas versutias possidens: & moto de fide ad Imperatorem sermone, repromisit ei Heraclius, si Chalcedonensem Synodum suscepisset, Patriarcham illum Antiochiæ se facturum. At ille simulatè suscepit Synodum, duas in Christo naturas confessus. Interrogavit autem Imperatorem de operatione & voluntatibus, qualiter has in Christo dicere oporteret, duplas, an simplas, &c.* Hæc Theophanes.

Congressus Pauli & Athanasii distincti sunt.

Hujusmodi verò congressum alium esse à superiùs commemorato, mihi plurima persuadent, licèt aliqui recentiores, qui de luce solis ambigunt in meridie, dubitare vel inviti conentur.

Prima ratio.

Quâ, rogo, suffulti ratione, ex duobus hisce congressibus unum conflabimus, cùm liqueat priorem habitum esse cum Paulo Severiano, si quæ fides habenda sit & Sergio & Cyro; alterum verò

cum Athanasio Jacobitarum Patriarcha, testibus Theophane & Cedreno ? An fortè ad libitum somniabimus Paulum Severianum, & nomine & hæresi diversum, unum & eundem esse cum Athanasio Jacobita ? Præterea, prior congressus cum Paulo contigit vigente adhuc bello cum Persis, ut Sergii verba superiùs adducta præ se ferunt manifestè : alter autem cum Athanasio evenit extincto jam bello Persico, ut mihi facilè persuadeo, non ignorans ex adducto loco Theophanis habitum esse anno vigesimo Imperatoris Heraclii, cùm tamen bellum adversus Persas incœperit anno duodecimo ejusdem, scribente Theophane : *Cùm ageret Heraclius in Imperio annum duodecimum, & annus esset Domini sexcentesimus vigesimus-primus, mense Aprili, die quarta, Indictione nona, celebrata solemnitate Paschali, mox secunda feria Vesperi motus est contra Persidem.* Incœptum autem bellum adversus Persas anno duodecimo per sex tantùm annos fuisse productum, affirmant Græci plerique, quos consulat Lector, qui fidem nobis non adhibeat : contenti quippe sumus unum adducere Cedre-

SCRUTIN. I.

Secunda ratio.

SCRUTIN. I. num ad ann. 18. Heraclii, ita scribentem: *Hîc mysticum aliquid considerare par est. Quemadmodum namque Deus sex dierum spatio omnibus rebus conditis, septimâ quievit; ita Heraclius sexennio debellata Persîde, septimum annum pacatum egit.* Igitur bellum illud anno Heraclii decimo-octavo finem exoptatum fuisse sortitum, opus est affirmare, si rationis legibus teneamur. Unde cùm nobis constet per Theophanem, Heraclium habuisse congressum cum Athanasio anno vigesimo Imperii, liquet etiam, cum eodem fuisse congressum, finito jam bello Persico; atque ita congressum Athanasianum alium esse à congressu cum Paulo, quem, teste Sergio, fervente bello Persico contigisse compertum est. Demum non hîc omittendum duco, quòd in illo primo congressu cum Paulo, non Paulus, sed Heraclius protulit in medium quæstionem unius in Christo voluntatis & operationis, juxta ea quæ retulimus ex Sergio; cùm tamen in altero congressu non Heraclius, sed Athanasius *interrogârit Imperatorem de operatione & voluntatibus, qualiter has in Christo dicere oporteret, duplas, an sim-*

Tertia ratio.

plas. quæ ſunt verba ſuperiùs ex Græcis deflorata. Quid inde mirum, ſi de Paulo & Athanaſio ut de diſtinctis perſonis ſcribunt veteres? De Paulo, inquam, omiſſo Athanaſio, ſcribit Sergius in epiſt. ad Honorium, & Cyrus in epiſt. ad Sergium relata in Conc. Later. ſecret. 3. & hunc eundem opinor eſſe Paulum monoculum, ad quem Sergius direxit libellos fictos Mennæ ad Vigilium, ut refert ſanctus Maximus in Dialogo cum Pyrrho. Econtra verò de Athanaſio, relicto interim Paulo, ſermonem habent Theophanes, Cedrenus, Zonaras, necnon Sophronius in ſua Synodica, in qua anathematizatis pluribus hæreticis ſubdit: *Cum quibus anathema ſit & catathema Athanaſius quoque Syrus, &c.* SCRUTIN. I.

Cùm hæc igitur ita ſe haberent, conſuluit Imperator, nec ſemel, tum Sergium Conſtantinopolitanum, tum Cyrum Epiſcopum Phaſidis, poſtea verò Patriarcham Alexandriæ, utrum ſcilicet in Chriſto duplex eſſet voluntas, an unica: à quibus illud habuit reſponſum, ut una prorſus in Chriſto dicenda eſſet voluntas & operatio, uti repo-

Heraclius conſulit Sergium & Cyrum Monothelitas.

SCRUTIN. I. nunt communiter Græci auctores. *Tunc Imperator* (inquit Theophanes narratò jam congressu cum Athanasio) *vocis novitate consternatus* (verba hæc, quæ sunt aliquibus lapis offensionis, omittit Cedrenus) *scribit Sergio Constantinopolitano Episcopo, advocat etiam Cyrum Episcopum Phasidis: & hoc interrogato, reperit eum consentientem Sergio in unam voluntatem & unam operationem. Sergius enim utpote Syrus genere, & parentibus Jacobitis existens, unam naturalem voluntatem & unam operationem in Christo rescripsit atque confessus est.*

Sergius corrupit Cyrum, non verò Cyrus Sergium.

§. 5. Verùm quisnam ex alterutris alterum illaquearit, & in Monotheliſmum rapuerit, Cyrusne Sergium, an Sergius Cyrum, satis anceps est, adhuc sub judice. Minimè tamen improbabile putarim, quòd Cyrus, homo, teste Sergio in epistola ad Honorium, nec satis doctus, nec celebris alioquin nominis aut auctoritatis, non ita facilem præbuisset assensum novo schismati vel hæresi unius in Christo voluntatis & operationis, nisi, exorto Heraclium inter & ipsum sermone, fuisset oblata sibi legenda suggestio quæ-

dam Sergii, in qua Monotheliſmus apertè recipiebatur. Quin immo cùm legiſſet Cyrus juſſionem quandam Heraclii adverſus Paulum Severianum, quam ad Arcadium Archiepiſcopum Cypri firmandam tranſmiſerat, ubi una prædicabatur in Chriſto poſt unionem operatio, ut in principio Scrutinii ſequentis dicemus; eidem ſe abnuiſſe ſcribit in epiſt. ad Sergium, haud ignarus ex epiſtolis ſanctiſſimi Leonis duas eſſe in Salvatore Domino ponendas voluntates & totidem operationes. Audiamus ex ipſo Cyro hæc ſingula in epiſtola citata ad Sergium, ex qua juvat hæc paucula decerpere. *Divinam Serenitatis ejus* (ſcilicet Heraclii) *ad Arcadium ſanctiſſimum Archiepiſcopum Cypri diviniſſimè compoſitam juſſionem adverſus Paulum eorum Primatem ac caput, legendam aſſumere præſumpſi, &c.* Et poſt pauca: *Inveni*, inquit, *prohibentem dici duas in Domino noſtro* JESU CHRISTO *poſt unionem operationes: abnuebam, ac ſtudebam proferre honorabiliſſimam Leonis epiſtolam, duas palam, mutua nimirum utriuſque communione, quemadmodum docet ſanctiſſimus Dominus meus, operationes claman-*

SCRUTIN. I.

Cyrus trahitur in Monotheliſmum à Sergio mediis ſuggeſtionibus.

SCRUTIN. I. *tem. Hinc nobis deinde exorto sermone jubebar manu capere ad legendum vestram à Deo afflatorum venerabilissimam suggestionem, quam dicebat, & videbatur piæ jussionis esse rescriptum: faciebat enim mentionem stulti illius & nequam Pauli, quin & exemplaris jussionis, sensumque ea expressum approbabat.*

Videas ex his, ô Lector, qua Sergius calliditate per suas hasce suggestiones; eò pernicioſiores, quò occultiores, Cyrum hæsitantem, quin & abnuentem in præceps deturbarit. Firmatur adhuc idipsum ex iis, quæ Cyrus alibi scribit ad Sergium, postulans edoceri, quonam modo sit una in Christo voluntas & operatio, objectis interim verbis sancti Leonis: *Operatur utraque forma cum alterius communione, &c.* Quibus Cyri petitionibus satis affluenter Sergius respondit, firmiter assumens, unam tantùm in Christo reperiri voluntatem; conaturque ausu temerario, sed exitu inani, verba sancti Papæ Leonis vel invita rapere ad hæresim Monothelitarum confirmandam.

Sergius undique serit libros fictos Unde rursus sedula illa Sergii vafrities in undique serendis, & fortè confingendis

fingendis libellis Mennæ ad Vigilium Papam, iisque transmittendis ad Theodorum Episcopum Pharanitarum, ad Paulum Severianum, ad Cyrum Alexandrinum, ad Georgium cognomento Arsam, Paulianistam, ut præclarè sanctus Maximus urget in dialogo cum Pyrrho, nisi ut hæresis unius in Christo voluntatis, in illis contenta, cujus ipse parens esset, latiùs vagaretur, quâ postmodum & Oriens & Occidens infectus langueſceret? Satis eluceſcunt, ut ineptum prorsus sit hærere diutiùs, Sergii fraudes dolique, quibus conabatur, licèt occultè, ut faciliùs inconsultos irretiret, pullulantem Monotheliſmum immobiliter radicare. Quamobrem non alienum à veritate putarim, asſere Sergium utpote Jacobitam, ante quoslibet alios novam hæresim ab inferis evocasse, atque Heraclium Imperatorem, Cyrum Alexandrinum, alioſque Orientis Antistites rapuisse in insidias; necnon vires & artes omnes exeruisse, ut iisdem technis implicaret Honorium, Romæ veteris, & universalem Orbis Episcopum, quibus implicarat Præsules Orientis. His autem,

SCRUT. I. *Mennæ ad Vigilium.*

SCRUTIN. I. quæ diximus, eò libentiùs acquiesco, quò magis aliena esse non videntur ab iis, quæ afferuntur in sexta Synodo act. 15. ubi Sergius agnoscitur nascentis Monothelismi parens & architectus; cùm ipse occultis & privatis fraudibus alios involveret, ut interim à Catholicorum tumultibus, quos ab alto prospiceret, tutus lateret, nec invidiam in seipsum converteret.

In quibus culpandi Heraclius, Cyrus & Theodorus.

Non ideo tamen quis opinetur absolvendos esse Heraclium Imperatorem, Cyrum Alexandrinum, atque Theodorum Pharanitanum. Heraclium, inquam, Imperatorem, qui in alienam messem ausus ingredi, zeloque indiscreto res evolvens fidei, congressus habuit de dogmatibus sacris cum Paulo Severiano & Athanasio Jacobita, à quibus abstinere, utpote laïcus, debuisset; & jussiones pro Monothelismo composuit, & Ecthesim Sergianam, plenam perfidiâ, suo nomine vulgandam permisit, ut dicemus Scrutinio sequenti. Cyrum, inquam, Alexandrinum, qui licèt veritatem Catholicam agnosceret, adhuc tamen in hæresim trahi passus est, ob-

luctarique maluit cum sancto Leone, quem sibi non ignorabat adversum, quam Sergii Heracliique jussionibus impiis non adhærere. Quin immo se obtulit præcipuum ministrum Sergianæ impietatis, synodicè decernens in Conciliabulo quodam Alexandrino, de quo Scrutinio sequenti, errorem illum, quem Sergius nonnisi occultè fuerat professus : qua quidem de causa meruit Cyrus quandoque appellari parens Monotheliſmi, dum iis temporibus ea specialiter attendebantur, quæ determinarentur synodicè. Demum verò Theodorum Pharanitanum, qui confictos admittens libellos, quos Sergius ad illum transmiserat, ut tradit S. Maximus in dialogo cum Pyrrho, permisit indecorè se in Monotheliſmum præcipitem agi ; pro quo etiam opuscula non pauca composuit, quorum fragmenta in Concilio Lateranensi & in sexta Synodo producuntur in medium, & producta anathematizantur. Quin immo, ut scribit Theophanes, & nos superiùs adduximus §. 2. se socium præbuit Cyro Alexandrino, quo socio *frigidam* illam fecerunt unionem cum Hære-

SCRUTIN. I.

SCRUTIN. I.

ticis per Conciliabulum Alexandrinum, ex qua deinde probrum non vulgare contraxit Ecclesia : quibus de causis inter architectos turris Babylonicæ, hoc est, hæresis Monotheliticæ, & ipse reponitur; quin immo non semel à Concilio Lateranensi & sexta Synodo ante cæteros omnes proscribitur ejusdem memoria.

Calumnia Sergii & Pyrrhi in Sophronium.

§. 6. QUO igitur impellente spiritu temeritatis factum esse putabimus, ut Sergius ipse in epistola ad Honorium, omnium dissensionum auctorem facere videatur sanctissimum Sophronium Hierosolymorum Episcopum ? Cui quoque calumniæ visus est Honorius silendo assentiri per ea verba rescriptæ epistolæ ad Sergium, quæ habetur in sexta Synodo act. 13. *Scripta fraternitatis vestræ suscepimus, per quæ inventiones quasdam & novas vocum quæstiones cognovimus introductas per Sophronium.* Hujusmodi verò calumniam denudavit apertè venerabilis Maximus in epistola ad Petrum Illustrem, ubi Monotheliticam deplorans temeritatem ait: *Sophronium, qui prudenter divina perdocuit, & prædicavit Catholicæ Ecclesiæ dogmata,*

S. Maximus vindicat Sophronium.

se in errorem moviſſe hac illaque ſuſurrant. Et rurſus in eadem epiſtola : *Divinus*, inquit, *Sophronius, laudabiliſſimi, in Afrorum regione mecum & cum omnibus peregrinis Monachis moras agebat, cùm ipſi perverſitates illas fabricarent adverſus omnes.* Clariſſimè demum vindicat ab hac calumnia Sophronium idem Maximus in dialogo cum Pyrrho : cùm enim iſte non erubuiſſet objicere, ſecutus deceſſorem Sergium, quod *Sophronius, qui paulò antè fuit Patriarcha Hieroſolymitanus, fecit, ut hoc vel præter propoſitum faceremus, cùm tempore in opportuno ſermonem de operationibus excitavit.* Vindicem Sophronii ſenſit Maximum verbis hiſce mendacium redarguentem. *Quid igitur? Poſtquam Sergius multis modis morbum ſuum in commune propoſuit, & maximam partem Eccleſiæ corrupit ac vaſtavit, ſi beatus Sophronius admonuit cum humilitate, quæ ejus habitum decebat, ad veſtigia ejus provolutus, Chriſti Dei paſſionibus vivificis, quæ omnem ſupplicationem continebant, commemoratis, & obteſtans, ne vocem hæreticorum, probè olim à ſanctis Patribus ſuperioribus extinctam, renovaret, fuitne*

SCRUTIN. I.

SCRUTIN. I.

ipse auctor hujus scandali ? Minimè verò dicere tenemur : sed Sergius, qui ut Ecclesiam laniaret, novos errores unius in Christo voluntatis & operationis commentus est. Sergius, inquam, qui *Syrus genere, & parentibus Jacobitis existens*, ut refert Theophanes, necnon teste Niceph. lib. 18. c. 54. *Jacobitarum contagione* infectus, virus illud, quod unà cum lacte suxerat, per Orientem evomuit, & quocumque modo potuit, undequaque diffudit.

Qua facilitate potuerit Sergius illaqueare Heraclium & Episcopos plures.

§. 7. Et sanè non admodum fuit Sergio laborandum, ut ad sua pertraheret Heraclium, hominem ad superstitionem religiosum, quique specioso unionis titulo poterat dicto citiùs illaqueari. Quod cùm optimè norint Monothelitæ, nil magis jactare consueverant, quàm ejusmodi *frigidam* unionem, ut vocat Theophanes, seu *aquâ mergendam*, ut appellat Cedrenus ad an. 20. Heraclii; eandemque nimiùm exaggerans Sergius in epist. ad Honorium, haud erubuit asserere, quòd per Conciliabulum illud Alexandrinum recepta fuerit in Catholicam communionem Thebais, Libya, Ægyptus, & oves

omnes, quotquot ab ovili reduxerant antiquiores Hæretici. & tamen testis est sanctus Maximus in epistola ad Petrum Illustrem, quòd *Ecclesiâ Catholica concordiâ frueretur, & unanimitate, necnon pacifica, atque fide tranquilla, priusquam caliginosam nubem & stridentem fluctum maris ab ipso dæmone turbationis amico concitaretur per Ministros suos Monothelitas.* SCRUTIN. I.

Nec leve pondus addidit Sergio ad Monotheliſmum immobiliùs firmandum, quòd Cosrhoes Persarum Rex, ac hostis infensus Heraclii, amore summo prosequebatur Nestorianos: *qua de causâ*, (scribente Theophane ad ann. 15. Heraclii) *insaniâ persitus donaria omnia Ecclesiarum, quæ sub Persis erant, abstulit; utque Heraclio molestam rem faceret, Christianos omnes ad societatem Nestorianæ hæresis adegit.* Cùm hæc, inquam, ageret Cosrhoes in odium Heraclii, Heraclius ex opposito, ut grave quid inferret Cosrhoi, plus æquo favit Eutychianismò, utpote qui omnium maximè adversaretur Nestorianis, quibus Cosrhoes favebat. Verùm cùm nefas eidem videretur duplicem à Christo *Cur Heraclius adeo favérit Monothelitis & Eutychianis.*

SCRUTIN. I. naturam excludere, jam in Concilio Chalcedonensi definitam, consultius id illi visum est, unam in Christo cum Eutychianis prædicare voluntatem atque operationem, ut patens inde aperiretur via ad recipiendos eosdem Eutychianos, sicuti Cosrhoes ad Nestorianismum coëgerit Orthodoxos: qua pariter de causa factum putarim, ut hæresis Monothelitarum à Beda aliisque appelletur Eutychianorum.

Quàm magna esset apud Orientales existimatio & fama de Sergio.

Quid etiam Sergio potuit esse facilius, quàm instabilem Orientem in Monotheliſmum inducere, cùm maxima foret ejusdem auctoritas, tum apud Heraclium, cujus fuerat inaugurator Imperii, ut affirmat Zonaras, cujusque filium Heracleona, Martinamque neptem, & conjugem illegitimam, in tutelam receperat, summaque Imperii penes ipsum esset, si quando Imperator in Persiden, in Armeniam, huc illucque à bellis evocabatur: tum etiam apud Orientis Antistites ob excellentiam reverentiæ, quam Orientales Episcopi præstabant Constantinopolitano Præsuli, ut vel ex una licet inscriptione prospicere, quam Cyrus Ale-

xandrinus præfixit epiſtolæ ad eundem Sergium datæ. *Proprio Domino, & per omnia honorando, atque ter beatiſſimo benigno Paſtorum Paſtori, Patri Patrum, univerſali Patriarchæ Cyrus humilis ſervus veſter.* Eò verò majora exhibebantur eidem officia, quò magis Sergius habebatur non contemnenda præditus doctrina, ad quem proinde ut ad Magiſtrum confugere ſolerent Orientales, ac inter eos Cyrus, enixè poſtulans emendari, ſi fortè in aliquo deliquiſſet. *Queſo ter beatiſſimum meum Dominum* (verba ſunt Cyri in epiſt. ad Sergium in ſexta Synodo act. 13.) *quatenus cognitionem omnium faciens, ſiquid mihi vitali motione forſitan defuit, aut per ignorantiam de competentibus fruſtratus ſum, emendare exiguum famulum dignetur.* SCRUTIN. I.

§. 8. HANC autem de ſe bonam exiſtimationem ſibi Sergius acquiſiverat ab inito ſtatim Conſtantinopolitano Patriarchatu poſt obitum Thomæ, ſcilicet anno juxta Baronium 608. licèt enim adhuc junior ad Epiſcopatum fuiſſet evectus, quælibet exercuit officia virtutis. Unde S. Theodorus cogno- *Bona fruges Sergii in initio ſui Patriarchatus.*

SCRUTIN. I. mento Siceota, vir mirabilis sanctitatis, eidem Sergio jam electo in Patriarcham, suisque pedibus obvoluto, dixerit, ut scribit Eleusius apud Surium tom. 2. die 22. Aprilis: *Deo confisus, spero administrationem tuam & diuturnam & præclaram fore.* Quibus verbis addit Eleusius: *Ex eo tempore majores vires suscipiens Patriarcha in suo munere administrando rectè se gessit.* De eodem quoque Sergio, extant apud alios encomia, præsertim apud Georgium Pisidem in carmine quod affert Baron. ibid.

Sergius igitur iste tantæ apud Orientales gloriæ, *ex optimo* (verba sunt Baronii loco citato) *nequissimus redditus, caput & dux factus est Monotheli-tarum*; funestasque tragœdias peperit Ecclesiæ, quas Dei prænuntians sapientia, ingens adaperuit prodigium, paucis retroactis annis ab irruptione Monotheliſmi. Nam ut scribit idem Eleusius, *cùm in oppidis finitimis supplicationes fierent, & cruces quæ gestari solent, horribili miserandoque spectaculo per se concuterentur & commoverentur, interrogatus vir divinus Theodorus, quid sibi id vellet, respondit: Deum, ô filii, precibus*

Ingens prodigium prænuncians Monotheliſmum.

placate, quoniam magnæ mundo imminent calamitates. Quam eandem crucium collisionem iterum exponens idem S. Theodorus coram Thoma Constantinopolitano, à quo fuerat super hoc exoratus, hæc ait: *Scito ea crucium concussione multa nobis gravia molestaque prænuntiari: significat enim plurimos à Religione nostra defecturos, & barbararum gentium invasiones, & magnam sanguinis effusionem, & ingens exitium, & in universo Orbe seditiones fore, & sanctas Ecclesias desertum iri, &c.* Quæ quidem, licèt funestissima, ad unguem, ut inquiunt, exitus comprobavit. Paucis enim extunc annis, immanes Christianorum cædes in Oriente, Persarum rabie, patratæ sunt, ipsaque Hierosolyma vi armorum direpta, & Crux vivifica Christi per Cosrhoem in Persidem traducta. Iisdemque temporibus emersit seductor infamis & pseudopropheta blasphemus Mahometes, crucium hostis execrabilis, & sectæ sordidissimæ parens sordidior. Ac demum, quod attinet ad hæreses, paucis elapsis annis à crucium prodigio pullulavit Monotheliſmus è cineribus extincti

SCRUTIN. I.

SCRUTIN. II. Eutychianiſmi reviviſcens, cujus parens & dux extitit Sergius, ut ipſe quoque ſentit Baronius in verbis nuper adductis. Hujus igitur Monotheliſmi hucuſque diximus exordia; ad aperiendos ejuſdem progreſſus alacres accedamus.

SCRUTINIUM II.

In quo afferuntur conatus Monotheliarum, & Orthodoxorum conſtantia in rejiciendo Monotheliſmo, uſque ad obitum ſanctorum Martini & Maximi.

SUMMA SCRUTINII.

§. 1. *Heraclius poſt congreſſum cum Paulo componit juſſionem quandam in favorem Monotheliſmi.*

§. 2. *Hanc Heraclii juſſionem plures Epiſcopi rejecêre.*

§. 3. *Monotheliſmus erupit apertè in quodam Conciliabulo Alexandrino per Cyrum celebrato.*

§. 4. *In hoc corruptæ ſunt ab hæreticis Patrum ſententiæ.* SCRVTIN. II.

§. 5. *Hæreticorum fraudibus obſtitit acriter Sophronius.*

§. 6. *Honorius verò Papa mitiùs æquo egit cum Monothelitis.*

§. 7. *Falſum eſt ab Honorio damnatos fuiſſe Monothelitas.*

§. 8. *Salvantur aliquæ Græcorum auctoritates, à quibus nonniſi violenter probari poteſt anathema Monothelitis inflictum per Honorium.*

§. 9. *Pro Monotheliſmo tutiùs evulgando promulgat Sergius quandam ſilendi œconomiam; cui etiam manus dedit Honorius.*

§. 10. *Idem Sergius promulgat Ecthesim, quæ licèt ſub Heraclii nomine in lucem apparuerit, ab ipſo tamen Sergio conflata fuit.*

§. 11. *Mittitur eadem Ecthesis ad Severinum Papam, à quo non eſt approbata.*

§. 12. *Approbata tamen fuit à Pyrrho Sergii ſucceſſore.*

§. 13. *Simulque damnata ſynodicè per Ioannem quartum Romanum Pontificem.*

SCRUTIN. II.

§. 14. *Idemmet Ioannes epistolam apologeticam in favorem Honorii dedit Constantino Imperatori.*

§. 15. *Sanctus Maximus quis esset, & qua vi defendat Honorium in dialogo cum Pyrrho.*

§. 16. *Idem Pyrrhus convictus à sancto Maximo Romam accessit ad Theodorum Papam post abdicationem Patriarchatus Constantinopolitani.*

§. 17. *Hæc tamen abdicatio, utpote violenta, non effecit, quin Pyrrhus à Theodoro ut Episcopus reciperetur.*

§. 18. *Unde Paulus, qui Pyrrhi thronum invaserat, licèt priùs laudetur, postea tamen damnatur ut hæreticus ab eodem Theodoro.*

§. 19. *Qua de causa Paulus indignatus malè habet Romanos Apocrisiarios.*

§. 20. *Quibus adhuc non contentus promulgat Typum in odium fidei, fretus impietate Constantis.*

§. 21. *Hunc verò Typum anathematizavit Martinus in Synodo celeberrima Romæ habita.*

§. 22. *Constans irâ accensus Romam mit-*

tit Olympium & Theodorum Caliopam Exarchos, qui sanctos Martinum & Maximum perduxerunt Byzantium. SCRUTIN. II.

§. 23. *Ubi glorioſi Martyres plurima paſſi ſunt; ac tandem in exilium miſſi viriliter pro Chriſto occubuere.*

NIL, me judice, præteriit intentatum Monothelitica perfidia, ut Orthodoxus Orbis hæretico veneno tabeſceret; nil tamen ex oppoſito neglexit Catholicorum pietas, ut apta pharmaca veneno accommodarentur. Illorum fraudes, ſanctamque iſtorum vigilantiam in illis eludendis aggreſſi ſumus in hoc Scrutinio pro viribus aperire.

Heraclius promulgat juſſionem pro una Chriſti voluntate.

§. 1. Heraclius Imperator, Monotheliticæ pravitatis fautor egregius, habito jam congreſſu cum Paulo, de quo Scrutinio antecedenti præfati ſumus, juſſionem quandam compilavit, ubi inter alia duplicem vetabat in Chriſto poſt unionem dici operationem, eamque præcipuis Epiſcopis, ac inter alios Sergio & Cyro obtulit firmandam, cui tandem unanimes aſſenſi ſunt. Hæc,

SCRUTIN. II. quæ paucis absolvimus, videri poterunt fusiùs expensa in epistola Cyri ad Sergium adducta in Conc. Later. sub Martino secret. 3.

Zelus inordinatus Heraclii Imperatoris.

Non ego dubitarim, jussionem istam ab Imperatore fuisse conflatam zelo quodam fidei movente, licèt indiscreto, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ plurimùm noxio: cùm ex eo satis eluceſcat inordinatus amor Heraclii, se immiscendi rebus Ecclesiasticis, quas decernere Sacerdotum est, non laïcorum. Huc etiam spectat ejusdem cacoetes præcipiendi celebrationes Conciliorum, ac præsertim cujusdam Synodi Armenæ jussu ipsius celebratæ, de qua sic habet anonymus Græcus in quadam narratione rerum Armeniæ, Latinitate donatus à P. Combefis: *Sedente Esdra Heraclius Imperator 23. ejus Imperii anno, ac quarto à morte Cosrhois, magnam Synodum universorum Episcoporum, ac Doctorum majoris Armeniæ, accercitis Catholico Esdra, ac omnibus Azatis Theodosiopoli fieri præcepit, ac perquiri, & dispicere de duabus in Christo Deo nostro naturis, ac de Synodo Chalcedonensi, &c.* Approbo quidem, laudoque Concilium: zelum Heraclii maximum fateor, at simul

mul indiscretum agnosco: unde quippe tanta hæc potestas homini laïco, *ut magnam Synodum universorum Episcoporum Armeniæ fieri præcipiat?* Unde tanta hæc eidem auctoritas, ut jussiones de dogmatibus fidei, fideique contrarias, compilare & ferere præsumat? SCRUTIN. II.

§. 2. NON defuere tamen sanctissimi Præsules, qui jussiones istas nullatenus reciperent; præsertim verò Arcadius sanctissimus Archiepiscopus Cypri, cujus fides summè celebratur in Con. Lateranensi secret. 2. & post ipsum, Sergius, Episcopatus & virtutis Arcadii hæres dignissimus, cujus epistola pariter habetur loco nuper citato. Quinimmo descendissent ad anathemata, nisi spe quadam pœnitentiæ illecti eadem distulissent, si fidem habeamus his quæ scribit idem Sergius in epistola ad Theodorum Papam, ubi rationem reddens, cur Monothelitas nondum anathematizassent, refert hoc ideo factum, *quia dispensationem aliquam quærebant, arbitrantes ad meliora immutare eos proprias doctrinas.* *Plures Episcopi rejiciunt jussionem Heraclii Imperatorii.*

Severiùs tamen adversus Monothelitas, vel in ipsis exordiis, agendum pu- *Joannes Alexandrinus obstat Monothelitis.*

SCRUTIN. II. tavit sanctus Joannes Alexandrinus, cognomento Eleemosynarius, doctrinâ non minùs, quàm pietate conspicuus. *Cùm enim intellexisset, quòd Sergius* (verba sunt sancti Maximi in dialogo cum Pyrrho) *ad Georgium cognomento Arsam, Paulianistam scripsisset, rogans ut mitteret sibi auctoritates de una operatione, hanc epistolam Joannes Papa Alexandrinus manu ab Arsa abstulit: unde cùm vellet etiam eum ob ipsam deponere, impeditus fuit ab incursu tunc à Persis in Ægyptum facto.* Egregia profectò, tantoque viro digna consilia, qui nec Sergii calliditatem, nec potentiam veritus Heraclii, paratus erat vel ipso suo innocenti sanguine à Monothelitica fœditate Christianorum animos abluere.

Monothelitæ, duce Cyro, celebrant Conciliabulum Alexandrinum.

§. 3. QUIA tamen ignis violenter occlusus ad longam moram delitescere non potest, ex occultis scintillis, quas Sergius aliique sparsim accenderant, ingenti fragore magnum erupit incendium, quod inchoavit ardere vehementer Alexandriæ, habito per Cyro Conciliabulo, in quo novem capita decreta sunt, & in horum septimo una tantùm in Christo Dei virilis voluntas. Hujus

acta Conciliabuli videri possunt in sexta Synodo act. 13. Huic ergo palam occurrere arbitrati sunt opportunum haud ignobiles Antistites & Sacerdotes, nec admodum pauci: quippe Stephanus Episcopus Dorensis in Conc. Later. secret. 2. supplicationes exhibet expositas Sophronio *omnium pene habitantium Orientalium tractuum reverendissimorum Episcoporum, & Christianorum populorum consonanter beatæ memoriæ Sophronio ad hoc invitantium.* SCRUTIN. II.

Hos inter omnes emicuit vindex acerrimus Orthodoxiæ Sophronius, priùs quidem sanctissimus Monachus, ac postea digniſſimus Antistes Hierosolymorum. *Hic Alexandriam veniens*, (ut sanctus Maximus in epistola ad Petrum Illustrem) *mox ex prima lectione (dederat enim ipsi Cyrus ad retractandum illa novem impietatis capitula) lugubre quiddam & ingens vociferatus, fontes emittebat lacrymarum, illum fervidè obsecrans, supplicans, expostulans, in pavimento ipsius pedibus provolutus, quò nihil horum super ambonem contra Catholicam Dei Ecclesiam prædicaret.* Nihil tamen ardentissimis hisce precibus coram Cyro profecit So- *Sophronius insurgit contra Monothelitas.*

SCRUTIN. II. phronius. Petiit inde Conſtantinopolim ad Sergium, Sergio teſte in epiſtola ad Honorium, graviter queſtus coram eo de tumultibus per Cyrum excitatis, nullumque lapidem reliquit immotum, ut ſeptimum caput Conciliabuli Alexandrini ſilentio conſignaretur. Nimis tamen hoc durum Sergio viſum eſt, ut ipſe ſcribit ad Honorium, arbitratus, ſi Sophronii conſiliis acquieviſſet, ſcindendam iterum unionem cum Eutychianis, aliiſque hæreticis per Conciliabulum illud inductam, quam ipſe *mirabilem*, Theophanes verò *frigidam*, & Cedrenus *aquâ mergendam*, ſatiùs appellarunt.

Fraus Monothelitarum in corrumpendis ſanctis Patribus.

§. 4. NE verò Sergius, cæterique Monothelitæ prorſus temere errorem ſuum ſerere viderentur, ſtuduere, (exitu licèt infelici) ſanctorum Patrum ſententiis confictis partim, partim corruptis, illum conſtabilire: quocirca in ipſo ſeptimo capitulo Conciliabuli Alexandrini violans Cyrus auctoritatem ſancti Dionyſii, pro *nova* voluntate ſubſtituit fraudulenter *unam* voluntatem, vi rapiens, quem legitimè acceptum verebatur adverſarium. Hoc plagium in Dionyſio

acriter inculcant Patres Concilii Lateranensis secret. 3. licèt Pyrrhus in epistola, quæ ibidem affertur, conatus fuerit ab hoc evidenti crimine vindicare Cyrum per hæc verba: *Unam in veritate pro nova continebat charta illa, non malitiosè, quod absit, juxta quod assequor; sed quia non aliter ejusmodi vox inserta sit à sanctissimo Cyro, quàm quia idem valeant, nova & una.* Nec his absimilia crediderim molitum esse Sergium; eo præsertim quòd illius fraudes in hoc eodem puncto violandi Patrum sententias longè deteriores artibus Cyri agnoscat Martinus Papa secret. 3. sui Concilii Lateranensis. *Sergius* (sunt verba Martini) *in epistola de ejusmodi quæstione ad Cyrum scripta, tam immutationem novæ cum illo confirmans, & non solùm hoc, sed & Doctoris & Dei virilem amputans penitus vocem; & unam absolutè in Christo Deo dogmatizans operationem.* Quin immo eo temeritatis delapsus est Sergius, ut omnes sanctos Patres, necnon ipsum sanctissimum Leonem pro se stare gloriaretur. SCRUTIN. II.

§. 5. HUIC pariter pesti pharmacum attulit Sophronius, *qui superiùs dictis te-* *Diligentia Sophronii in Monotheli-tas.*

SCRUTIN. II. *meratoribus*, ut reponit Stephanus Dorensis in Conc. Later. secret. 2. *non tantùm in Oriente validissimè contradixit, contestans eos & admonens, ut à propria hæresi quiescerent, & ad rectam Patrum fidem remearent: verùm etiam in duobus libris sexcenta dedit testimonia Patrum ad evictionem impietatis eorum, & veritatis ostensionem.* Unde nonnisi per execrabilem calumniam imposuit Honorio Sergius, quòd Sophronius, quamvis rogatus, nulla prorsus valuerit exhibere Patrum testimonia pro gemina in Christo voluntate & operatione; cùm præsertim (ut ex epistola Cyri ad Sergium luculenter ostendit Maximus Episcopus Aquileiensis in Conc. Later. secret. 4.) minimè Sergium latuerit, quamplurimas à Sophronio prolatas esse Patrum sententias, ut Monotheliticus error penitus everteretur.

Calumnia Sergii in Sophronium.

Sophronius celebrat Synodum in hæreticos.

Quid plura? His diligentiis, quantumvis maximis, vigilantissimus Sophronius non acquievit omnino. Grandem animum applicuit ad majora: quam ob rem vix adepto Hierosolymorum Episcopatu, Concilium habuit Antistitum Palæstinæ, in quo composuit sacram il-

lam Encyclicam mittendam de more ad Patriarchas, quæ adducitur in sexta Synodo act. 13. atque in ea disertissimis sanctorum Patrum auctoritatibus abundè prædicavit duplicem in Christo dari voluntatem & operationem. Nec ineptè dixerim, aliud quoque Concilium fuisse à Sophronio celebratum, in quo grassantem hæresim confoderit anathemate, necnon fraudes aperuerit per Conciliabulum Alexandrinum Catholicis illatas. Quinimmo crescentibus in dies per Orientem erroribus, ultra Legatos; quos cum sua Synodica miserat ad Honorium, alios quoque legavit; præsertim verò Stephanum Dorensem Episcopum, *quem vinculis indissolubilibus alligatum super ipso Calvariæ loco coegit Romam petere, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt; ibique tandiu Patres exorare, quandiu ex Apostolica prudentia, quæ in Deo est, ad victoriam judicium perducerent, & noviter introductorum dogmatum perfectam facerent secundùm Canones destructionem.* quæ sunt verba ejusdem Stephani in Conc. Later. secret. 2. Doluit etiam ardentissimus Præsul hoc se fungi munere minimè posse propter emersas in Palæ-

SCRUTIN. II.

Sophronius dat plures Legatos Romano Papæ.

SCRUTIN. II.

stina Saracenorum incursiones, ut ibidem Stephanus reponit.

Sergius scribit ad Honorium primum Pontificem.

§. 6. CUM tanta hæc in Oriente discrimina deploraret Ecclesia, conati sunt Monothelitæ, præsertim verò Sergius, Occidentem ipsum veneno conficere, atque Honorium Romanum Pontificem, quacunque tandem possent arte, ad sua vi trahere. Scripsit Sergius ad Honorium, de tumultibus eum certiorem reddens, quos calumniatur per Sophronium introductos: utque illum promptiùs illaquearet, ubique pietatem simulat, & unionem cum hæreticis habendam. Multa in epistolis calumniosè mentitur, non pauca fraudulenter confundit, nec minora supponit, licèt absona fidei, ut nos alibi exponemus.

Honorius mitiùs æquo egit cum Sergio.

Cum Sergio mitiùs æquo visus est Honorius egisse, nec ut opportebat, illius errores & calumnias confodisse. Ipse quoque non pauca commiscuit in rescripta ad illum epistola: atque satis obscurè & ambiguè locutus præbuit ansam Orientalibus illum calumniandi, & tanquam patronum & fautorem Monotheliſmi rapere, licèt invitum. Nil quippe poterat illis esse speciosius, & inde opta-

bilius, quàm Romanum Pontificem universo Orbi nomen adoratum pro se jactare, & sibi magistrum assumere, quemadmodum Pyrrhus, Paulus & Macarius non rarò in suis scriptis gloriantur. Hujusmodi nos epistolas Honorianas examinabimus infrà, & si quid in illis rejiciendum occurret, modestè rejiciemus; si quid vindicandum, vindicabimus ardenter. SCRUTIN. II.

§. 7. Fateor interim ingenuè, mihi nunquam potuisse persuadere, quod non ignobiles Historici & Controversistæ, præsertim verò Albertus Pighius, supponere visi sunt tanquam certum: videlicet ab Honorio fuisse Monothelitas, sive etiam Monotheliſmum confossum anathemate. Rem difficilem deglutiendam proponunt. Ecquis enim crediderit Joannem IV. coævum Honorio, ac ejusdem ferme successorem, in epistola ad Constantinum, quæ refertur inter Collectanea Anastasii Bibliothecarii, in qua totis conatibus vindicat Honorium, de ejusmodi damnatione ne verbum quidem fuisse prolaturum, cùm omnia prorsus ibidem congerat argumenta ad illum excusandum,

Falsum est ab Honorio fuisse anathematizatos Monothelitas.

SCRUTIN. II. minimè omissurus anathema Monothelitis inflictum, si de hoc probabiliter constitisset; eo vel maximè, quòd absque dubio damnatio ista fuisset ineluctabile jugulum Monotheliticæ petulantiæ? Quid de Maximo dicemus? quid de Anastasio Bibliothecario? Ambo proximi fuerunt Honorio; ambo ejusdem propugnatores egregii; ambo pro eodem conscripserunt apologias; ambo nihil intentatum præterière pro ejusdem defensione: & tamen de commentitio hoc anathemate, altum silentium est in illis reperire.

Qua fuerit Honorii diligentia in hæreticos.

Non abnuo, sanctum Maximum in epistola ad Petrum Illustrem, diligentiam Honorii in Monothelitas adhibitam indicasse. *Quid autem* (inquit) *& divinus Honorius? quid verò & post illum Severinus senex? quid denique & is qui post hunc extitit sacer Ioannes? Porro is qui nunc præsidet beatissimus Papa, omisit quicquam supplicationi conveniens.* Absit ut arbitrer, Honorium manibus pedibusque in Monotheliſmum incidisse, cùm præsertim conscius sim Martinum Papam suorum decessorum vigilantiam in facto Monothelitarum ita extulisse,

ut visus fuerit ipsum pariter Honorium comprehendisse. *Ideo* (verba sunt Martini in secret. 1. sui Concilii) *in scripto, vel sine scripto Orthodoxorum preces minimè despicientes Apostolicæ memoriæ nostri decessores, non destiterunt prædictis viris diversis temporibus consultissimè scribentes, & tam rogantes, quamque regulariter increpantes, necnon per Apocrisiarios suos, ut dictum est, pro hoc maximè destinatos, præsentialiter admonentes & contestantes, quatenus proprium emendarent novitatis commentum.* Hæc, inquam, omnia sponte concesserim, cùm præsertim ex his nullo pacto valeamus eruere, fuisse Monothelitas vel Monotheliſmum ab Honorio damnatum: diligentiam enim Honorii adhibitam in hæreticos explicuit sanctus Agatho in sua Synodica longè aliam fuisse à commentitio anathemate Monothelitis, ut inquiunt, inflicto. *Apostolicæ* (loquor cum Agathone) *memoriæ meæ parvitatis prædecessores, Dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem hæreticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanæ Ecclesiæ Præsules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obsecrando commo-*

SCRUTIN. II.

Agatho respicit ad œconomiam Honorii.

SCRUTIN. II. *nere, ut à pravi dogmatis hæretico errore, saltem tacendo, desisterent.* Quam aptè, *saltem tacendo*, quibus exprimitur Honoriana silendi œconomia, cùm solus Honorius inter Pontifices Monothelitici silentii dispensationem fuerit amplexus! Ex his ergo mihi sum de hac veritate usque adeo persuasus, ut potiùs renuntiarim auctoritati (si quæ fortè ad id probandum violenter raperetur) & Theophanis & Cedreni & Zonaræ, quàm assentiri fuisse Monothelitas ab Honorio damnatos, cùm de hoc ne minimum vestigium appareat in Joanne IV. in sancto Maximo, & in Anastasio, acerrimis, & satis proximis Honorii vindicatoribus.

Ex Græcis non infertur ab Honorio damnatos esse Monothelitas.

§. 8. NON abs re dixi: *Si quæ fortè ad id probandum violenter raperetur*, namque si Græci auctores æqua lance ponderentur, non ita facilè deducetur, Honorium dixisse anathema Monothelitis. Audiamus Cedrenum ad annum 20. Heraclii, ubi narrato congressu Imperatoris cum Athanasio Jacobita, subdit: *Ea de re Imperator ad Sergium Constantinopolitanum & Cyrum Phasidis Episcopum scribit, quorum cùm uterque à secta*

Monothelitarum esset, &c. invenit eos idem cum Athanasio sentire, quorum sententiam cùm ad Ioannem Papam Romanum præscriberet, est hæc ab eo improbata. Quibus in verbis, etiamsi necesse foret dicere mendum irrepsisse, & loco *Ioannis* ponendum esse nomen *Honorii*, quod tamen necessarium non est, cùm nihil inde sequatur incommodi; adhuc inferri non potest, ab Honorio damnatos esse Monothelitas aut Monotheliſmum. Si enim verba Cedreni è Græco fonte fideliter traducantur, sic sonant: *Scribit igitur* (scilicet Heraclius) *ad Ioannem Papam Romanum utriusque sententiam; ille verò non recepit.* quod sanè verissimum est, & apud me indubitatum, scilicet Honorium, & à fortiori Joannem non recepisse, sive non approbasse Monotheliſmum. Unde phrasis illa, quæ legitur in Cedreno, (*est hæc ab eo improbata*) ita videtur explicanda, (*hæc non est ab eo probata;*) quod ut verissimum admitto. SCRUTIN. II.

Dum verò Cedrenus paulò pòst dicit: *Sophronius Hierosolymorum Episcopus deligitur. Hic convocatis Episcopis, quibus præerat, decretum Monothelitarum condemnat, actaque Concilii sui ad Sergium Con-* *Corriguntur quædam verba Cedreni.*

SCRUTIN. II. *stantinopolis, & Ioannem Romæ Episcopos mittit.* Fateor ingenuè mendum irrepsisse, & Sophronium non ad Joannem, uti scribit Cedrenus, sed ad Honorium Synodicam direxisse, cùm Sophronius non tantùm ante Joannem, verùm etiam tribus circiter annis ante Honorium fatis concesserit. Nullo autem jure poterit ex hac auctoritate Cedreni aliud inferri, quàm Honorium recepisse Synodicam Sophronii, quod ultro concesserim.

Solvitur objectio ex Cedreno.

Fortè dices ex sequentibus Cedreni verbis id erui, ex iis scilicet: *Ioannes Papa Romanus Synodo congregata Monotheletarum hæresim detestatur;* existimans eodem modo Joannis loco reponendum esse Honorium. In hoc tamen apertè deciperis. Ponit enim ibi Cedrenus Synodum Joannis post Ecthesεos promulgationem, post obitum Sergii, post Pyrrhi electionem: quæ omnia certè contigêre, defuncto jam Honorio; ac proinde Synodus illa, de qua loquuntur Theophanes & Cedrenus, sub Honorio contigisse nequaquam potuit, cùm præsertim paulò pòst addat Cedrenus: *Ioanni Papæ Romæ mortuo Theodorus subroga-*

tur. Ex quibus liquet apertè nullum hîc in Cedreno errorem irrepsiſſe, ſed ipſum verè de Joanne, cui Theodorus, non de Honorio, cui Severinus ſucceſſerit, fuiſſe locutum. SCRUTIN. II.

His addito, quòd ſi ſublato nomine Joannis, ubique ſubſtituamus Honorium in auctoritatibus Theophanis & Cedreni, eique pariter Concilium tribuamus, immeritò deinde Synodum Joanni tradiderimus, cùm id de quo ſilet Anaſtaſius Bibliothecarius, præcipuè conſtet ex hac auctoritate Theophanis & Cedreni. Cùm ergo Cardinalis Baronius, cæterique communiter jure optimo conſignent Synodum Joanni, non eſt cur ejus nomine ſublato Honorium in præcitatis Græçorum auctoritatibus reponamus? fiet enim inde, ut Joannes ſua Synodo privetur, quod à veritate alieniſſimum eſt. *Indubitatum eſt Ioannem celebraſſe Concilium.*

Non hîc etiam arbitror omittendum, quòd Theophanes & Cedrenus, dum hæc evolvunt geſta Monothelitarum, ſatis indiſtinctè res evolvunt, & uni tribuere videntur quæ ſub aliis evenêre. Unde ambo hi auctores narrato Concilio Joannis ſubdunt immediatè: *Idem* *Græcis iſtis auctoribus cum judicio utendum eſt.*

SCRUTIN. II. *factum in Africa, Byzacia, Numidia, & Mauritania;* post quæ narrant Joannis obitum, & electionem Theodori; cùm tamen certum sit ex Conc. Later. secret. 2. has Synodos sub Theodoro Pontifice fuisse celebratas, ad quem directæ sunt etiam Synodicæ, quæ leguntur loco nuper citato Concilii Lateranensis. Rursus ibidem Cedrenus successorem Joannis facit Martinum, cùm hos inter mediet Theodorus: quem errorem ipsemet agnoscens, statuit alibi Theodorum Joannis successorem. Præterea Martino substituit Agathonem, cùm inter utrumque sederint Eugenius, Vitalianus, Adeodatus & Donus, de quibus omnino silet, cùm tamen egregia, nec admodum pauca, fuerint executi adversus Monothelitas. Quam ob rem ita istis auctoribus uti debemus, ut sano judicio sint accipiendi, ne si affectu nimis indiscreto illos examinemus, in incommoda præcipites irruamus.

Corrigitur & explicatur Zonaræ auctoritas.

Majus verò difficultatis specimen prima facie videtur exhibere Zonaras tom. 3. suorum Annalium, inquiens: *Cùm sanctus Sophronius tunc summo Sacerdotio*

cerdotio fungens Hierosolymis, subjectis sibi Sacerdotibus convocatis per Concilii modum, demonstrasset, qui unam in duabus Christi naturis voluntatem atque actionem affirmarent, eos palam unam quoque naturam statuere; eique Ioannes Papa Romanus assensus esset: Imperator Edictum proponit, neque singularem, neque binariam in Christo actionem esse asserendam. Quibus in verbis non dubito delendum esse nomen *Ioannis*, & substituendum *Honorium*, cùm certum sit Joannem electum esse Pontificem post Ecthesim, sive Edictum ab Imperatore propositum, necnon quibusdam elapsis annis ab obitu Sophronii, ut est apud omnes indubitatum. Nihilominus adhuc deleto nomine Joannis, & loco illius Honorio posito, nihil aliud ad summum ex hac Zonaræ auctoritate (quæ non est aliunde plurimi facienda) deducitur, nisi Joannem seu Honorium in hoc assensum esse Sophronio, ut qui unam Christi voluntatem & actionem affirmaret, unam etiam naturam statueret: quod verissimum est Honorium sensisse, ut ipse tradit apertè in epistola ad Sergium, in qua postquam recensuisset illo-

SCRUTIN. II.

SCRUTIN. II. rum sententiam, qui unam aut duas in Christo ponunt voluntates & operationes, subdit: *Qui hæc dicunt, quid aliud, nisi juxta unius vel geminæ naturæ Christi Dei nostri vocabulum, ita & operationem unam vel geminam suspicantur?* Ecquis autem non videt ex his inferri non posse damnationem Monothelitarum, sive etiam Monotheliſmi?

Valida confirmatio contra Adversarios.

Hæc autem omnia ex eo breviter, sed validè confirmantur, quòd Honorii nomen in sacris diptychis à Monothelitis honori maximo habebatur, ut affirmat Imperator Constantinus in epistola ad Donum. Inde fit improbabile fuisse Monothelitas, aut Monotheliſmum ab Honorio damnatum: nullo quippe modo Monothelitæ toleraſſent, ut Honorius poneretur, aut jam positus retineretur in diptychis, si semel ab eo fuissent anathematizati; cùm certum sit, neminem ex successoribus Honorii, à quibus aut damnati, aut reprehensi fuerunt, in diptychis fuisse repositum. Quinimmo cùm Imperator Constans affectus honoribus à Vitaliano illum in diptychis reposuisset, tandiu reluctarunt Monothelitæ, quan-

diu illinc obliteratus fuerit; acturi profectò pejora in Honorium, si ab hoc anathematizati fuissent, quem rursus nullatenus sibi magistrum jactitassent; nulloque fundamento ab illo quæsivissent patrocinium, à quo fuissent anathematizati. Ex his abundè liquet damnationem in Monothelitas ab Honorio factam, simplici magis in Honorium affectione probari, quàm rationibus, quibus omnino destituitur. SCRUTIN. II.

§. 9. SED tandem ad Monotheliticam silendi œconomiam dirigamus orationem. Ortis jam in Oriente gravissimis dissensionibus, & Sophronio aliisque Episcopis validè obnitentibus hæreticæ pravitati, consuluit sibi Sergius, novamque fraudem invexit, ut Orthodoxorum animos, jam meritò commotos, demulceret. Ea fuit quædam œconomia, sive dispensatio, qua utrinque servaretur silentium, nec unam amplius Monothelitæ, nec Catholici geminam in Christo prædicarent operationem. Hanc silendi dispensationem conatus est Sergius persuadere Sophronio, quam sine ulla difficultate imposuerat Cyro, eamdemque ardenter ele- *Sergii fraudes in evulganda œconomia silendi.*

SCRUTIN. I. I. vat in epistola ad Honorium, adeo ut potuerit inconsultum illaqueare, & ex hac parte, magno fidei detrimento, ad suas attrahere, uti fusiùs exponemus, acturi postmodum de Honorio.

Sergius evulgat Ecthesim.

§. 10. QUINIMMO ad eam latiùs evulgandam, decurrente Indictione duodecima, & anno Christi trigesimonono supra sexcentesimum, defuncto interim Honorio, composuit Ecthesim, seu fidei formulam & expositionem, in qua dici prohibebatur in posterum cùm una, tum duplex in Christi dispensatione operatio; licèt interim in ea disertè asseratur in Christo una tantùm voluntas, tanquam doctrina sanctorum omnium Patrum. Hanc Ecthesim per Conciliabulum Constantinopolitanum, cujus fragmenta citantur in Conc. Later. secret. 3. undique sevit, sub impio anathemate sugillans eos, qui contradicerent eidem; & hac de causa affixerunt eandem valvis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ubi ad multum temporis mansit immota, quamvis acriter reluctarint Orthodoxi. Nec hic acquiescens impiissimus Sergius Ecthesim illam non suo, sed Heraclii nomine

Sergius præfigit Ecthesi nomen Heraclii.

vulgandam curavit, ut majores hac arte tumultus in Eccleſia colligeret, pro quo refero Martinum ſecret 3. hanc Sergii petulantiam enixè perſtringentem. *Novæ*, inquit, *Ectheſeos audiamus commentum memorati Sergii, quam Ectheſim ſuaſit in tempore ſuo nomine Heraclium quondam Imperatorem titulare.* Eoque tandem res devenit, ut opus fuerit Heraclium per epiſtolam ad Joannem Papam ſe ab ejuſmodi calumnia vindicare, cujus ſunt illa verba, quæ ſanctus Maximus adducit in collatione cum Principibus in ſecretario, ut habetur inter Collectanea Anaſtaſii. *Ectheſis non eſt mea: neque enim ego vel dictavi, vel juſſi ut fieret. Sed cùm hanc Sergius Patriarcha compoſuiſſet ante quinque annos, priuſquam ab Oriente repedaſſem, deprecatus eſt me, cùm ad hanc felicem perveniſſem urbem, ut nomine meo proponeretur cum ſubſcriptione, & ſuſcepi deprecationem illius: nunc verò cognoſcens, quòd quidam ſuper ea altercarentur, cunctis facio manifeſtum, quòd non eſt mea.*

SCRUTIN. II.

Heraclius exponit Ectheſim non eſſe ſuam.

Miraberis fortè, Lector, huc deveniſſe Monothelitarum temeritatem: ſed proh! quàm pejora ſuperſunt & le-

Conatus Monothelitarum in favorem Ectheſeos.

SCRUTIN. II.

genda & lugenda ! Excipiamus ergo per ſanctum Maximum in epiſtola ad Petrum Illuſtrem , quoſnam conatus exercuerint Monothelitæ in favorem Ectheſeos. *Repentè contra veram Chriſtianorum fidem novam excogitaverunt Ectheſim ; deindè ſententias pro ea & compoſitiones injuſtas ; dein actiones monumentorum ; dein Synodos latrocinales , & concurſus Epiſcoporum , non voto convenientium , ſed violentiâ contractorum.* Quid horribilius poſſet unquam exhiberi auribus orthodoxis ? Quidve ſibi non aſſumet impietas , ſi in hæreſeos confirmationem trahuntur violenter Epiſcopi ? quod ipſum egiſſe Monothelitas, præter Maximum deplorat abundè Joannes quartus in epiſt. ad Conſtantinum , & citata ſuperiùs , & pluries infrà citanda. duplicique hoc teſte, fide qualibet majore , Monothelitica petulantia apparet intimius ? *Comperimus*, inquit Joannes , *quòd charta quædam* (Ectheſis) *mandata ſit, in qua Sacerdotes ſubſcribere coacti ſunt contra tomum beatæ memoriæ Papæ Leonis & Chalcedonenſem Synodum.*

Sergius mittit Ectheſim ad Severinum.

§. II. OPTASSET inſuper Sergius

atque Monothelitæ, ut Ecthesis à Romano Pontifice reciperetur, & recepta confirmaretur. quam ob rem defuncto jam, ut diximus, Honorio, anno videlicet sexcentesimo trigesimo-octavo, ad Severinum Honorii successorem transmittendam curarunt, futurum sperantes, ab eodem fore comprobandam, priusquàm ejus electio ab Imperatore stabiliretur. Hæc patent abundè ex epistola Cyri ad Sergium adducta secret. 3. Conc. Later. ubi inter alia sic legitur: *Eustatius gloriosus Magister militum detulit mihi venerandos apices, &c. intus habentes exemplar, &c. Ecthesεos venerabilis nostræ fidei à piissimo, &c. Principe pro pia fide nostra, ad Isacium excellentissimum Patritium & Exarchum Italiæ, destinatæ, quam debet profiteri communis frater noster Severinus sanctissimus, Deo adjuvante, qui ordinatur Romæ.* Huc usque Cyrus. Ex quibus cernere est, non alia de causa Ecthesim ad Isacium Exarchum Italiæ fuisse ab Imperatore transmissam, nisi ut à Severino reciperetur. *Verùm* (loquar cum Martino secret. 3.) *ceciderunt à sua spe, mentiti contra caput proprium: nec enim susceptа est*

SCRUTIN. II.

Ecthesis non est approbata à Severino.

SCRUTIN. II. *omnino, aut admissa secundùm vanam eorum spem, magis autem condemnata est & anathematizata ab Apostolica auctoritate huc transmissa pessimæ & præsumptæ novitatis eorum Ecthesis.*

Hæc autem, quæ ex Martino retulimus, an prorsus omnia sub Severino contigerint, silentibus veterum memoriis, satis anceps est, cùm ejus sedes ad menses duos & dies aliquot tantummodo fuerit protensa, si à die confirmationis sedis exordium accipiamus. Eo vel magis, quòd Romana Ecclesia fluctibus Tyrannorum Isaacii & Mauritii agitata, simulque præcipuis Cleri membris, utpote extorribus destituta & despoliata thesauris languebat exanimis. Unde satis est creditu difficile, tam brevi temporis intervallo potuisse eum, saltem synodicè, Ecthesim confodere; licèt interim certissimum sit, quòd eam nullatenus confirmaverit, satisque probabile, ut opinatur Cardinalis Baronius, ob reluctantiam in ea comprobanda per annum & menses ab Heraclio fuisse protractam Severini confirmationem, quæ ut intolerabilis tulerat infelicium temporum abu-

Status miser Romanæ Ecclesiæ sub Severino.

fus, ad Imperatorem attinebat. SCRUTIN. II.

§. 12. ECTHESIM ergo Romano non amplectente Pontifice, non defuere sceleſtiſſimi homines qui eidem in Oriente ſubſcriberent, ac inter eos Pyrrhus Conſtantinopolitanus, Sergii ſucceſſor. Emortuo quippe Sergio, eodem prorſus anno trigeſimo-nono poſt ſexcenteſimum, in quo Ectheſim compoſuerat, & ad tremendum Divinitatis tribunal evocato ad reddendam rationem omnium criminum, eligitur Pyrrhus impietatis & hæreſis Sergianæ hæres abominabilis, qui cùm Monachus eſſet Chryſopolitanus, dignus habitus fuit, ut in cathedra peſtilentiæ ſederet, & cathedram adverſus cathedram erigeret. Vix igitur adepto Epiſcopatu collegit Conciliabulum Conſtantinopoli, ut innuit ipſemet in Dialogo cum ſancto Maximo in fine. Cùm enim iſte conſuluiſſet, ut anathemate afficerentur Monothelitica dogmata, ſubdidit Pyrrhus: *Si hoc fiat, reperientur cum his ſimul ejecti Sergius & Synodus, me Patriarcha, habita.* Hujus aliqua Conciliabuli fragmenta nobis exhibet Concilium Lateranenſe ſecret. 3. ubi inter alia, hæc ex illo

Pyrrhus approbat Ectheſim.

Idem Pyrrhus pro Ectheſi celebrat Conciliabulum.

SCRUTIN. II. referuntur : *Curavimus, Deo donante, & ad eos qui absentes sunt, apud nos gesta* (scilicet Ecthesis confirmationem) *cum encyclica nostra destinare epistola, quatenus & eorum unusquisque per suam similiter subscriptionem eidem orthodoxæ prædicationi consentiat, & suam per subscriptionem præcedentibus conjungant mentem.*

Ioannes quartus synodicè condemnat Ecthesim Sergii.

§. 13. DUM hæc agebantur in Oriente in odium fidei † Joannes quartus Dalmata, Romanus Pontifex, Severini successor, suscepto Episcopatu anno 639. acrioribus remediis in Monothelitas obnitendum censuit : quam ob rem collecto Romæ Episcoporum conventu Monotheliſmum, necnon illi faventem Ecthesim confodit anathemate. Hujus acta Concilii haud exiguo fidei detrimento periere temporum injuriis, quorum jacturam meritò cum Torrensi deploramus. Et licèt de hac Synodo siluerit auctor Libri Pontificalis, meminit apertè cum Theophane Cedrenus hisce verbis : *Ioannes Romanus Præsul collecto Episcoporum Concilio Monothelitarum hæresim anathematizavit.*

Opinor ergo hac in Synodo Joannis

nullam habitam fuisse aut Sergii, aut aliorum personalem, ut vocant, damnationem, sed tantummodò dogmatum; minimè ignorans ab eodem Joanne in epistola ad Constantinum, appellari Sergium *reverendæ memoriæ Episcopum:* quod nullo jure dixisset tantus Pontifex, si memoriam ejus proscripsisset anathemate, vel si semel animo concepisset illius damnationem. Nec unquam sanctus Maximus in Dialogo cum Pyrrho, eidem interroganti de aperienda via ad unionem, respondisset, quòd *alius non est modus, quàm taceri personas, & anathemate affici talia dogmata*, si semel præcessisset per Joannem Papam personalis Sergii, aliorumque Monothelitarum damnatio.

SCRUTIN. II.

In Synodo Ioannis damnatum dogma, non persona.

§. 14. ADDENDUM his, quòd cùm Monothelitæ vel invitas raperent, ut sibi faventes, epistolas Honorii, sanctissimus Pontifex vindicaturus easdem, quod attinet ad dogma, nedum impulit Joannem venerabilem Abbatem, qui à secretis fuerat Honorio, adhuc superstitem, omnibus aperire legitimum sensum Honorianæ epistolæ, ut asserit Maximus in Dialogo cum Pyrrho: ve-

Ioannes scribit apologiã pro Honorio.

SCRUTIN. II.

rùm etiam provinciam hanc ipse susci-piens, epistolam apologeticam pluries à nobis citatam dedit Constantino Imperatori, qui patri Heraclio miserè defuncto ad annum Domini sexcentesimum quadragesimum-primum succedens, per quinque circiter menses rexit habenas Imperii, quas ut ex ejus manibus eriperet Martina Novercа, & ereptas Heracleoni filio ex Heraclio concepto consignaret, venenum illi obtulisse, Pyrrho etiam sollicitante consilia impietatis, non levia suadent argumenta, nec leviores Græcorum auctoritates. In ea igitur epistola Joannes Pontifex omnibus numeris absolvit Honorium ab errore dogmatis, ut alibi ponderabimus, necnon in illa Imperatorem enixè deprecatur, ut Ecthesim deponat & scindat. *Inspiret*, inquit, *divina Clementia Christianissimæ pietati vestræ, & cùm sitis custodes immaculatæ fidei nostræ, vos ad compunctionem incitet, quo eos qui novis sunt adinventionibus corrumpendi, Imperatoriis sanctionibus arceatis, & prædictam chartam, quæ in scandalum properat fidei, & locis publicis est suspensa, præcipiatis depositam scindi.* Justæ huic

Ioannes rogat Constantinum, ut deponat Ecthesim.

Pontificis ſupplicationi minimè viſus eſt indulſiſſe Conſtantinus, cùm Ecthesis Heraclii manſerit immota, donec promulgato Typo per Conſtantem depoſita fuerit. Unde licèt Zonaras tom. 3. de Conſtantino dicat, quòd *ille de religione rectè ſenſerit, paterni Imperii dumtaxat, non item perverſæ opinionis hæres*; cui Petavius aſſentitur, aliique: ita ego de illo judicarim, ut nihil quidem adverſus fidem fuerit molitus, ſimul attamen nihil Monothelitis intulerit detrimenti, nihilque innovarit in diſſenſionibus Eccleſiaſticorum. SCRUTIN. II.

§. 15. LOCUS iſte jam exigit, affectu præſertim vehementer impellente, ut de Maximo, verè maximo in omnibus, ſermonem inſtituamus. Celebris hic olim in aula Imperatoris Heraclii, Græcis, iiſdemque nobilibus ortus parentibus, aulæ & aulicorum ſerviles ac otioſos mores execratus, Chryſopolim ſe contulit, ibique monaſticam vitam tunc temporis Orbi ſpectabilem ſuſcepit. Quantanam floruerit in hoc viro doctrina, teſtantur affluenter plurima ipſius opera, diſputationes & collationes, quas multas habuit cum Mo- *Quis, qualisque eſſet ſanctus Maximus.*

SCRUTIN. II. nothelitis, in quibus tanta verborum eloquentia, acumina sententiarum, & divinorum eloquiorum effulget peritia, ut certè crediderim, divinæ Sapientiæ spiritu interiùs afflante, Monothelitarum hæresim fuisse insequutum. Quanta rursus fuerit ejusdem auctoritas, evincunt abundè quà blandimenta, quà minæ quibus usi sunt Imperatores, præsertim verò Constans, & Orientis Patriarchæ, ut illum quoquomodo possent, sui dogmatis assertorem haberent; eo præsertim quòd magna pars Orientalium, ut legitur in collatione Maximi cum Theodosio Cæsariensi, non communicaret throno Constantinopolitano, commoti solùm exemplo Maximi, qui eidem communicare fortiter renuit, cùm à fide turpiter recessisset. Quanta demum fuerit ejusdem constantia in tuenda fide, satis indicant ignominiæ, carceres, vincula, omnesque persecutiones, quas passus est injustè per Monothelitas, ac inter eas triplex exilium; si fidem habeamus Hypomnestico Theodosii & Theodori Monachorum relato in Collectaneis Anastasii.

Ignotum rursus nemini putarim dis-

putationem celebrem, quam ſanctus hic Abbas habuit in Africa cum Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano Monothelitarum patrono. In hac uſque adeo piè doctéque ſe geſſit ſanctiſſimus Maximus, ut non tantùm Monothelitica dogmata penitus everterit, verùm etiam & Vigilium & Honorium, quos illi temere ad ſuas rapiebant, vindicarit. Maximi argumenta tanti feciſſe viſus eſt Pyrrhus, ut in fine diſputationis ſeſe fateatur penitus evictum, ac proinde pollicetur quantocius ad Apoſtolorum limina properaturum, ut expoſita fidei orthodoxa confeſſione ſe ſuorumque memoriam deceſſorum ab omni vindicet hæreſis ſuſpicione, dummodo veniam, quam Maximus certam ſpondebat, ab Epiſcopo Romano excepturus eſſet humaniter.

SCRUTIN. II.

Diſputatio S. Maximi cum Pyrrho.

§. 16. CONTIGIT autem acceſſus iſte Pyrrhi in urbem Romam, defuncto Joanne, ſub Theodoro Joannis ſucceſſore. *Ipſis temporibus* (inquit Liber Pontificalis Anaſtaſii in Theodoro) *venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Patriarcha Conſtantinopolitanus, in urbem Romam ad limina Apoſtolorum, qui ingreſſus libellum*

Acceſſus Pyrrhi in urbem Romam.

SCRUTIN. II.

obtulit, &c. in quo scilicet fidei confessio continebatur. *His peractis fecit Pontifex cathedram ei poni juxta altare, honorans eum ut Sacerdotem Regiæ civitatis.*

Pyrrhus fictè abjurat Monotheliſmũ.

An autem hæc abjuratio Pyrrhi Romæ habita fuerit verus animi sensus, an inventum calliditatis, in solius Dei judicio repositum est. Nihilominus si fas est hominibus probabiliter loqui, fidenter dixerim cum Adone Viennensi in Chronico ad ann. 639. eam fictam fuisse, similemque abjurationi, quam Athanasius Jacobitarum Patriarcha coram Heraclio celebravit, simulatè recipiens sanctam Synodum Chalcedonensem, ut Patriarchatum Antiochenum in præmium simulationis arriperet, juxta ea quæ Scrutinio I. retulimus ex Theophane & Cedreno. Quam ob rem nil inde mirandum, quòd idem Pyrrhus non multum extunc temporis operâ Exarchi in pristinos errores offenderit Ravennæ, scribente pariter auctore Libri Pontificalis: *Postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit.* Quibus de causis extorsit à Theodoro Pontifice synodicum anathema: *Tunc enim sanctissimus Theodorus Papa*

Pyrrhus paulò pòst redit ad vomitum.

(subdit

(subdit ibidem Anastasius) *convocans universos Sacerdotes & Clerum in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis, condemnavit eum juxta mercedem.* quæ ferme singula ante Anastasium professus fuerat Martinus Pontifex secret. 1. Conc. Later. hæc habens de Pyrrho. *His ab eo peractis postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit, juxta mercedem ac retributionem propriæ transgressionis canonicam pœnam sive dispositionem decerpens.* In hac etiam Pyrrhi damnatione, rem quandam profectò mirabilem addit Theophanes hisce verbis: *Pyrrhus cùm Româ discessisset, & Ravennam pervenisset, ut canis ad vomitum suum reversus est. Quo Papa Theodorus comperto, convocato Ecclesiæ cœtu ad sepulcrum Verticis Apostolorum accessit, & divino calice expostulato ex vivifico Sanguine in atramentum stillavit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi ac ei communicantium fecit.* Eodem pariter, licèt terribili, anathematizandi modo usi sunt Patres Concilii Constantinopolitani adversus Photium, uti refert Nicetas, cognomento David, in Vita sancti Ignatii apud Surium, die 23. Octobris,

SCRUTIN. II.

SCRUTIN. II. cujus ea ſunt verba : *Subſcripsêre* Epiſcopi *depoſitioni calamis non nudo atramento, ſed in quo penitus contremiſcas, Salvatoris ſanguine tinctis.*

Cur Pyrrhus ſe Patriarchatu abdicarit.

Hæc autem ſingula, ſcilicet diſputatio Maximi cum Pyrrho, & alia quæ poſt hæc in illum acta ſunt, evenêre habita jam per Pyrrhum Patriarchatûs abdicatione. ad quod reſpexit Anaſtaſius in Theodoro, dicens de Pyrrho: *Ipſis temporibus venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Patriarcha.* Et licèt haud ignobiles Hiſtorici, ac præſertim Platina, Ciaconius, aliique, arbitrentur fuiſſe Pyrrhum fidei cauſâ ab Imperatoribus exagitatum; longè tamen probabilius eſt illum ex ſe Patriarchatui renuntiaſſe, ea de cauſa, quòd orta foret in vulgis ingens ſuſpicio propinatæ per ipſum tabificæ necis Conſtantino Heraclii filio, in favorem Heracleonis filii pariter Heraclii, quem tamen per Martinam ex filia neptem illegitimè ductam in matrimonio ſuſceperat, cujus proinde curam Pyrrho ſuperſtiti moriens Heraclius commiſerat, depoſitis apud eundem ingentibus pecuniis, ut Martinæ & Heracleoni conſultum foret, juxta

ta quæ scribit Nicephorus. De hac autem suspicione videri potest inter alios Zonaras, qui narrata morte Constantini subdit: *Cùm unum regnasset annum, veneno periit, &c. qua de causa Pyrrhus Patriarcha conscius fuisse insidiarum putatur.* Unde se imparem tanti vulgi tumultibus agnoscens, pejora veritus, Patriarchatum depositi. quæ singula perstringens citatus Nicephorus, narrata populi irruptione & violatione in sacrarium Constantinopolitanum, subdit: *Hæc ubi Pyrrhus comperit, sequenti nocte in Templum ingreditur: ibi sacra omnia exosculatus, & detracto humerali, & in sacra mensa depositio, Non Sacerdotio, inquit, me abdico, sed contumaci populo abrenuntio. Inde furtim egressus apud religiosam quandam feminam delituit, & opportunitatem nactus Chalcedonem navigavit.* SCRUTIN. II.

His quæ tradit apertè Nicephorus de spontanea, hoc est, non synodica, Pyrrhi abdicatione, consentit citatus nuper Theodorus Papa in epistola ad Paulum Constantinopolitanum, in qua scribit se plurimum minari, quòd Episcopi, qui Paulum ipsum consecraverunt, significarint, quòd *propter vulgarem turbu-* *Abdicatio Pyrrhi non fuit damnatione praviâ.*

SCRUTIN. II. *tionem & odium Ecclesiæ Pyrrhus Constantinopolitanæ Sedi abrenuntiasset.* Quinimmo totus est Theodorus tum in illa epistola, tum in alia ad Episcopos qui Paulum consecraverunt, quæ habentur inter Collectanea Anastasii, ut iisdem suadeat persuadeatque damnare synodicè canonicéque Pyrrhum, ac Patriarchatu spoliare, ut legitima sit electio Pauli; insuggerens ulteriùs quædam capita, ob quæ possent in Pyrrhum sic acriter obniti.

Probatur ulteriùs fictam fuisse Pyrrhi abjurationē.

Ex his autem omnibus iterum abducor, ut promptiùs assentiar iis quæ retuli paulò superiùs, videlicet fictam fuisse Pyrrhi abjurationem coram Theodoro Romæ habitam, & ad hoc illum respexisse, ut cùm Orientalem Ecclesiam & cives Constantinopolitanos in semetipsum agnosceret adversos, curaret sibi conciliare Occidentales Antistites, & præsertim Romanum, ne omnibus exosus vagam penitus & indecoram vitam traheret. Unde exitus comprobavit, quòd sibi iterum patefactâ viâ per Exarchum Italiæ ad unionem cum Orientalibus, qui nimis ægrè ferebant illius communicationem cum Romanis, red-

ierit illico ut canis ad vomitum, & ab Occidentalibus se rursus alienarit. SCRUTIN. II.

§. 17. HÆC autem Pyrrhi abdicatio neutiquam effecit, quin Theodorus Papa personaliter accipiens per Pyrrhum orthodoxum fidei libellum, *ut Episcopum* illum reciperet: nec aliud sibi vult, opinor, Liber Pontificalis Anastasii, dicens in Theodoro, quòd *hic Pyrrum honoraverit ut Sacerdotem Regiæ Civitatis*; quò *Sacerdotis* nomine non rarò designantur Episcopi. Hoc rursus ipsum innuit apertè sanctus Martinus Theodori successor, qui in epist. 16. quæ legitur tom. 2. Epistolarum Roman. Pontif. & in Collectaneis Anastasii, narrat de seipso, quòd cùm esset Constantinopoli in carceribus, sic per Demosthenem fuerit interrogatus de Pyrrho: *Libellum illum fidei quomodo fecit? Compellente aliquo?* Cui Martinus respondit: *Nemine, sed propria propositione.* Subdente verò iterum Demosthene: *Veniente Pyrrho Romam, quomodo eum suscepit sanctus vir Theodorus præcessor tuus Papa? Uti Episcopum?* Respondit iterum Martinus: *Uti Episcopum. & quomodo non? si priusquam veniret Pyrrhus Romam, manifestè scripsit beatus Theodorus*

Pyrrhus Roma receptus est ut Patriarcha.

SCRUTIN. II. *ad Paulum, utpote ad eum qui supplantationem fecit, & alterius thronum invasit? Deinde eodem Pyrrho veniente Romam sponte sua ad vestigia beati Petri, quomodo non haberet eum suscipere & honorare utpote Episcopum?*

Theodorus scribit ad Paulum ut deponeret Pyrrhum.

Fateor quidem eundem Theodorum instanter egisse cum Paulo Constantinopolitano & Episcopis qui eum consecraverunt, ut Pyrrhum synodicè deponerent; quinimmo in epistola ad Paulum postulare, ut Pyrrhus Romam mittatur, canonicè damnandus: quod inculcaret abs re, si præcessisset in Pyrrhum per aliquem ex Romanis Pontificibus condemnatio. hæc, inquam, fateor libenter. Verùm cùm nec Constantinopoli, nec Romæ ad ea tempora præcessisset in Pyrrhum damnatio, eo ob hæresim pœnitentiam agente, consultum fuit, ut tanquam Episcopus haberetur à Theodoro, ejusque abdicatio, utpote violenta, agnosceretur nulla & invalida: eo vel maximè, quòd Paulus in hæresim prolapsus fuisset.

Paulus invadit sedem Pyrrhi Constantinopoli.

§. 18. PAULUS igitur, abdicante Pyrrho, ac in Africam profugo, ope Constantis Imperatoris Patriarchatum

obtinuit, non abſimilis Pyrrho aut in moribus, aut in dogmatibus. Hæreticus hæretico ſufficitur; indigno ſubrogatur indignus. Ne tamen in ipſis exordiis, adhuc Pyrrho ſuperſtite, & ejus abdicatione ſatis ancipiti, naufragium pateretur, ita callidè ſe geſſit in texenda ſynodica, ut laudes fraudulenter extorſerit à Theodoro Papa in epiſtola ad Paulum reſcripta. Verba verò Theodori ſunt hæc: *Et quoniam fide hominum corda purgantur, lecti apices dilectionis veſtræ limpida fidei fluenta vos de fontibus Salvatoris hauſiſſe, & ſicut prædicamus prædicare, & quemadmodum credimus credere, & ſicut docemus indiminutè docere, manifeſtarunt.* Qua pariter de cauſa Victor Epiſcopus Carthaginenſis in epiſt. ad eundem Theodorum in ſecret. ſecundo Conc. Later. appellat Paulum *venerabilem Conſacerdotem*; necnon Geloſius, Probus, cæterique Antiſtites Carthaginenſes in epiſtola ad Paulum ſcripta, quæ legitur loco citato Concilii, vocant eundem *beatiſſimum* & *honorabilem*: unde ſi quid in initio ſui regiminis deliquit, per conniventiam potiùs id factum eſſe putarunt Orthodoxi, quàm

SCRUTIN. II.

Quondam Paulus laudatur à Catholicis.

SCRUTIN. II.

in hæresis positivam, ut vocant, defensionem; ac proinde de hoc solummodo visi sunt illum admonere Episcopi Carthaginenses nuper citati per hæc verba: *Quia verò comperimus, quòd quædam contraria in Constantinopolitana sunt civitate contra instituta Fidelium, & antiquissimorum Patrum, & universalium Conciliorum proposita, per chartulæ cujusdam* (Ecthesis) *venenosæ dicta: miramur, imò dolemus, cur à vobis hæc sunt permanere permissa, aut non statim conscissa, & recto sacerdotali proposito radicitus amputata.*

Paulus tandem profitetur Monotheliſmum.

Potuit sanè Paulus brevi quodam temporis intervallo venenum ebibitum comprimere pharmaco simulationis; verùm tumescente in dies conscientia, illud aliquando vel invitus evomuit, quin tamen salutem consequeretur: compilavitque epistolam, Ecthesi simillimam, quæ habetur in Conc. Later. secret. 3. in eáque prædicavit in Christo unam voluntatem & operationem; secutúsque primos Monotheliſmi fautores, adducit pro eadem hæresi præcipuos quoslibet ex Patribus: *Omnes*, inquiens, *pietatis Doctores & Prædicatores hujusmodi unius voluntatis mente detinentur, quorum, si*

epus est, requisitione proveniente, & competenter relegimus testimonia, quibus concordes & consonantes facti sunt piæ memoriæ Sergius & Honorius, unus quidem novæ, alter verò antiquæ Romæ summi Sacerdotii sedem decorantes. Vulnus Pauli, utpote jam desperatum, non ampliùs lenociniis, sed ferro & igne anathematum curandum esse, si posset, duxerunt opportunum Patres orthodoxi. Unde Episcopi Cyprii cum Sergio eorum Archiepiscopo, necnon Antistites Africani, collectis plurimis Conciliis, præsertim verò Columbus primæ sedis Episcopus Concilii Numidiæ, & Stephanus primæ sedis Episcopus Concilii Byzaceni, & Reparatus Episcopus primæ sedis Concilii Mauritaniæ, ac demum Gelosus, Probus, cæterique Episcopi Concilii Proconsularis Africani, quorum omnium aliqua monumenta referuntur in Synodo Martini secret. 2. supplicationibus egerunt cum Theodoro, ut membrum jam infectum ab Ecclesiæ sano corpore rescinderet. Sanctissimus igitur Theodorus justis iteratisque tot Antistitum supplicationibus indulgens, post amantissimas commonitiones &

SCRUTIN. II.

Plures Episcopi rogant Theodorum ut damnet Paulum.

Theodorus indulget petitionibus Episcoporum.

SCRUTIN. II. contestationes ardentissimas per suas epistolas suosque Apocrisiarios expositas, ad damnationem Pauli descendit, cujus gesta sic in Theodoro recenset Liber Pontificalis Anastasii : *Sanctissimus Papa Theodorus scripsit Paulo Patriarchæ Regiæ Civitatis, tam rogans, quàm regulariter increpans, necnon per Apocrisiarios per hoc maximè destinatos præsentialiter admonens & contestans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem Catholicæ Ecclesiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum à suo conamine quoquomodo revocare, propter quod justè ab Apostolica Sede ipse depositionis ultione perculsus est.*

Paulus malè habet Romanos Apocrisiarios.

§. 19. HÆC medicamina, quibus ad correctionem erga Paulum utebatur Theodorus, Paulus in aconita convertebat ad interitum; audiens quippe sui nominis proscriptionem, pejora molitus est ad mala semper pronus & præceps: qua de causa fretus impietate Constantis Apocrisiarios Romæ veteris ignominiosè tractavit, multosque Sacerdotes orthodoxiæ defensores variis injuriis lacessivit. quæ singula testatur abundè sanctus Martinus in principio sui Con-

cilii, ex quo paucula hæc excipias de Paulo. *Pravitatem suam defendens, &c. Altare sanctæ nostræ sedis in domo Placidiæ sacratum in venerabili oraculo subvertens diripuit, prohibens ne adorandam & immaculatam hostiam, id est, sacram celebrationem Apocrisiarii nostri ibidem Deo offerre valeant, & vivificæ divinæ communionis Sacramenta percipiant: quos, &c. cum aliis orthodoxis viris & venerabilibus Sacerdotibus insecutus est, quosdam eorum custodiæ retrudens, alios in exilio deportans, alios autem verberibus submittens.* Quæ pariter omnia in Anastasio Bibliothecario referuntur. SCRUTIN. II.

§. 20. NEC hisce terminis arctata Pauli temeritas, progressa est ulteriùs. Ut fidem insidiosè vulneraret, sibique jam exoso Catholicis consuleret, Typum quendam, seu fidei formulam & expositionem composuit, in qua simulato pacis atque unionis prætextu silentium imponebatur quà Catholicis, quà hæreticis, ne scilicet imposterum quis auderet de una vel duplici in Christo tum voluntate, tum operatione sermones instituere. Duxit insuper opportunum vir subdolus, ut sibi res eveniret *Idem Paulus Typum fidei hæreticum promulgat.*

SERUTIN. II. de consilio, Ectheſim ab Eccleſiæ valvis deponere; unde in eodem Typo hæc leguntur: *Ad perfectam unitatem ſanctarum Dei Eccleſiarum & communem concordiam, & ut nulla occaſio relinquatur iis, qui ſine fine volunt contendere, & chartas, quæ poſitæ fuerunt in narthica ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ hujus à Deo conſervandæ Regiæ noſtræ Urbis, quæ continent prædictas quæſtiones, juſſimus levari.*

Conatus Pauli reliquis omnibus nequior.

Conatum hunc à Paulo per Typum expreſſum, cæteris præcedentibus longè nequiorem agnoſcit ſanctus Martinus in epiſtola ad Amandum per hæc verba: *Et non ſolùm hoc facere nullatenus voluerunt Monothelitæ,* (ſcilicet acquieſcere monitis Orthodoxorum) *ſed & nunc ſucceſſor ejus Paulus temerator fidei, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, alium nequiorem excogitavit in præjudicium Catholicæ fidei conatum, quaſi quæ à deceſſoribus ſuis hæreticè expoſita fuerant, deſtruens; & Imperialem Typum ſacrilego auſu totius plenum perfidiæ à clementiſſimo Principe noſtro fieri perſuaſit.* Nec aliquis exiſtimet, quòd ſolùm Catholicis ſenſus hic eſſet de Typo: nam ſicut Ectheſis à Sergio compoſita, *non Orthodoxis tantùm,* (ut

loquitur Zonaras agens de Heraclio) *sed Severi etiam sectatoribus, ridicula visa est;* ita etiam Typus à Paulo conflatus, non tantùm à Catholicis, verùm etiam à quibusdam Monothelitis odio habebatur. Unde Theodosius Cæsarienſis in collatione cum Maximo, *Per Deum*, ait, *qui me judicaturus est, & quando factus est, dixi, & nunc idipsum dico, quia malè & ad læsionem multorum factus est Typus.* De hoc autem non est cur miremur, cùm satis liqueat per Typum Ectheſim deſtrui, quemadmodum per Ectheſim evertebatur ſeptimum caput Conciliabuli Alexandrini, ut ſæpius inculcat ſanctus Maximus. SCRUTIN. II.

Hæc autem conſilia impietatis non ita fidenter expoſuiſſet Paulus, niſi ſocium habuiſſet Conſtantem Imperatorem, quem alii Conſtantinum, aliique Conſtantium appellant, filium Conſtantini, & nepotem Heraclii, qui patrui potiùs, quàm patris exempla ſecutus, nihil non molitus eſt, quo Monotheliſmus undique vulgaretur, eidemque patronos emeret quà blanditiis, quà terroribus. Quam ob rem, ſi quæ in Oriente vacarent Eccleſiæ, Monothelitis *Conſtans Imperator favet Paulo.*

SCRUTIN. II. consignabantur; si quæ Provinciæ destituerentur Præfectis, perfidioribus hæreticis earum Præfectura tradebatur. Hunc ergo Paulus nactus sceleris socium, Typum exposuit, & Constantis nomine promulgavit, quemadmodum Sergius Ecthesim ediderat Heraclii auctoritate firmatam: indeque ad eum modum quo Patres in Sergium referebant Ecthesim, pariter ut Typi conditorem Paulum sugillabant. Unde reverendissimi Abbates in Conc. Later. secret. 2. damnant coram Martino Typum, *qui*, ut inquiunt, *contra Orthodoxorum fidem factus est ex subreptione, non ex studio, aut mente piissimi nostri Imperatoris, sed ex suasione importuna & falsiloquio Pauli depositi à prædecessore vestræ sanctitatis Theodoro.*

Omne scelus Typi refundunt Patres in Paulum.

Non autem abs re Patres Orthodoxi crimen omne in Typo expressum refundebant in Paulum, ne scilicet animus Constantis lacessitus contumeliis, licèt ab ipso meritis, pejora mala pareret Ecclesiæ. Unde Martinus Papa in epistola ad Constantem appellat eum, *piissimum Dominum, diligentem Deum, sincerum Christi ministrum, optimum Imperatorem.* Quo pariter consilio putarim

factum, ut in sexta Synodo idem Constans diceretur *sanctæ memoriæ Imperator*, (de quo queritur immeritò Albertus Pighius) ne videlicet Constantinus Pogonatus Constantis filius exhorrens in parentem opprobria contorqueri, susceptam fidei defensionem deponeret, & fieret hostis Ecclesiæ, quem patronum illa jactabat, & pacis Ecclesiasticæ reparatorem. Qua etiam arte laudabili sanctus Maximus suaviter egit cum Pyrrho, donec anathemate vinctus fuit: quam ob rem cùm illum laudasset aliquando, rationem hanc reddit in epist. ad Monachos Siciliæ: *Illius meæ ad Pyrrum laudationis hæc fuit ratio ac modus, cùm vellem sensim eum & à contraria opinione abducere, & ad rectam intentionem fidei transferre.* SCRUTIN. II.

§. 21. QUIA tamen ad Martinum sensim devolutus est sermo noster, abs re me facturum putarim, nisi aliqua ex ejusdem gestis, brevibus saltem lineis, indicarem. Qualis enim verborum apparatus pro meritis exprimeret Martini vigilantiam, labores, persecutiones, quas passus est hilariter, ut obniteretur Monothelitis? Defuncto igitur Theo- *Martinus succedit Theodoro.*

SCRUTIN. II.

doro, anno Christi sexcentesimo quadragesimo-nono subrogatur in sede Martinus, qui nuper sub suo decessore functus fuerat munere Apocrisiarii in Urbe Regia Constantinopoli. Hic ergo, vix obtento Romæ Episcopatu, ad enervandum Typum, quem Theodorus, morte præventus, saltem synodicè damnare non potuerat, totum animum adjecit, celebreque Concilium Romæ collegit centum & quinque Episcoporum, in quo per quinque secretaria seu consultationes proscripsit Conciliabulum Alexandrinum, Ecthesim, necnon ipsum Typum, eorumque auctores, Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum: tantáque semper fuit hujus auctoritas Concilii, ut quandoque appelletur generale, & post quinque Synodorum generalium professionem, hoc etiam profiterentur fideles, ut ex Synodo Anglicana sub Theodoro Archiepiscopo, de qua Beda Hist. Anglicanæ lib. 4. cap. 17. observat Cardinalis Baronius ad an. 649. Ex actis hujus Concilii, quæ maxima fidei utilitate permanent illibata, tot multa in hisce nostris Scrutiniis decerpsimus,

Martinus synodicè Typum condemnat.

cerpſimus, ut forſan Lectoribus moleſtiam ingeſſerimus; præſtitit autem ad ipſos perennes fontes confugere, nec de rivulis plurimùm curari, hoc eſt, de ſcriptis recentiorum. SCRUTIN. II.

§. 22. QUAMVIS autem in eo Concilio prudens fuerit, ut diximus, tum Martini, tum aliorum Antiſtitum & Abbatum œconomia, ut Typi quodcunque ſcelus refunderetur in Paulum, ipſeque Conſtans magnificis & ſpecioſis titulis ab omnibus inſignitus, ab omni probro conſiſteret immunis; non tamen hæc valuere ad mulcendum ejuſdem animum, cui crimen enorme videbatur, Imperatorio quidem, ſed impiiſſimo Typo audacter obniti. Unde ut de malè concepta injuria ſe ipſum ulciſceretur, Olympium Exarchum in Italiam miſit, ut ibi, quos Typo conſentientes inveniret Epiſcopos, blanditiis foveret; quos reluctantes agnoſceret, jure armorum violento tolleret è medio. Romam igitur attingens, conatus eſt ſerere in Clero ſchiſmatis zizania, ut inde colligeret Martini depoſitionem, quo ſedente conatus omnes irritos arbitrabatur. Has verò ejus artes divina eludente Providentia, in ipſius Martini

Conſtans iratus Romam mittit Olympium contra ſanctum Martinum.

SCRUTIN. II.

perſonam furores impius convertit, quem ut è viviseriperet, ſpathario demandavit, ut inter Miſſarum ſolemnia, dum ei porrigebat communionem, gladio percuſſum interimeret. Quia tamen ſanctiſſimo Martino Deus Optimus Maximus longè majora deſtinarat pro Chriſti fide ſubeunda certamina, conſilium impietatis exequi non valuit perfidus Exarchi miniſter, oculis excæcatus, ut ipſemet pluries cum juramento teſtatus eſt: qua ſpatharii cæcitate factus oculatior Olympius, infanda Conſtantis molimina adaperuit Martino, & pace facta cum ſancta Dei Eccleſia, colligens exercitum perrectus eſt in Siciliam adverſus Saracenos. Quæ ſingula cum aliis etiam relata invenies per Anaſtaſium in Martino.

S. Martinus, Deo adjuvante eludit Olympium.

Calliopas Romam proficiſcitur, in ſanctum Martinum.

§. 23. SPE ſua fruſtratus Imperator, ſuſpicatus inſuper Olympium cum Martino conſpiraſſe adverſus Imperium, ut acta ſancti Martini teſtantur, exæſtuans irâ Theodorum Calliopam Exarchum in urbem Romam juſſit proficiſci, ut adverſus Martinum exequeretur conſilia, quæ diſtulerat Olympius. Romam

igitur veniens cum exercitu anno quinquageſimo poſt ſexcenteſimum, celeriter implevit, quæ ſcelus erat exequi vel tardiſſimè. Cùm ergo ſanctiſſimus Pontifex in Eccleſia Salvatoris, quæ dicitur Conſtantiniana, lectulum in quo jacebat, ſtratum haberet ante altare, impiiſſimus Exarchus unà cum exercitu illuc ingreſſus decimo-quinto Calendas Julias talia patravit auſu nefario, quæ eodem teſte Martino, nec dicenda ſunt, nec fortè concipienda. Inde à Calliopa juſſio porrigitur Preſbyteris & Diaconis, in qua Martini depoſitio continebatur, ut alter in ejus locum ſubrogaretur Epiſcopus: quod tamen non niſi poſt aliquod tempus, & ad vitanda mala pejora factum fuit in perſona Eugenii; magna quippe fuit in tuendo Martino Romani Cleri conſtantia, adeo ut *nec veriti fuerint in præſentiâ Exarchi, ac Theodori Cubicularii*, (verba ſunt ejuſdem Martini in epiſtola ad quendam Theodorum) *Preſbyteri & Clerici, claravoce dicere: Anathema habeat quiſquis dixerit, vel crediderit, quia Martinus uſque ad unum apicem fidem mutavit, aut mutaturus eſt.* Sponte igitur egreſſus ab

SCRUTIN. II.

Cleri Conſtantia in tuendo ſancto Martino.

SCRUTIN. II. Ecclesia ter maximus Antistes, sese libens obtulit Exarcho, ut exhiberetur Imperatori, nemini prorsus aures accommodans, qui eum hortarentur, ut Exarcho resisteret : maluit enim optimus Pastor de sibi grege concredito sollicitus esse, quàm de propria salute; unde, ne fierent homicidia, prohibuit enixè ne quisquam insurgeret in ejus defensionem.

Quàm essent validæ vires Cleri Romani.

Nec erant profectò spernendæ Cleri vires, si voluisset iis uti Martinus adversus Exarchum, ut ejus petulantiam justo bello compesceret : quas pertimescens ipse Calliopas, *misit* (loquor cùm sancto Martino in epist. ad Eliterum (*Chartularium suum, & quosdam ex obsequio suo, dicens : Quia arma præparasti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegisti, & hoc necessarium non est, nec aliquid tale fieri permittas.* A qua calumnia se ipsum vindicaturus sanctus Pontifex, *misit illos gyraturos per totum Episcopium, & si arma vel lapides vidissent, ipsi testimonium perhibercnt.* Quinimmo valde timuit Exarchus die solemni Dominico ob populi frequentiam parare insidias sancto Pastori, ne videli-

cet pietatis zelo Romanos ad arma concitante, re infecta cogeretur egredi ex Urbe: consultiùs arbitratus in feriam secundam differre exitum impietatis, ad eum modum, quo principes Sacerdotum & seniores populi congregati adversus Christum, *consilium facientes, ut* JESUM *dolo tenerent, & occiderent, dicebant: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* SCRUTIN. II.

His igitur Exarchus artibus utebatur, ne Romanos in semetipsum converteret; quod erat satis imminens, si Martinum fuisset insecutus ob causam fidei, in qua nimis erat oculatus Pontificis zelus. Nec tantùm distulit ad sui securitatem in diem ferialem funestam Martini tragœdiam, verùm etiam ad cohonestandam impietatem multa in illum calumniosè mentitus est, ac duo præsertim, quæ refert sanctus idem Martinus in epistola ad Theodorum: primum quidem, quòd adversus Romanos molitus aliquid esset cum Saracenis, præstando iisdem suppetias: alterum, quòd non bene sentiret de Virgine Deipara; à quibus calumniis semetipsum vindicat loco citato sanctis- *Calumniæ Exarchi confictæ in sanctum Martinum.*

SCRUTIN. II.

simus Pontifex: quem tandem ex Urbe extractum nocte, quæ illuxescit in feria quarta, quæ erat decima-tertia Calendas Julias ejusdem anni 650. circa horam quasi sextam immiserunt in levamento. Cumque ad horam plus minus quartam diei ad portum perveniissent, ex hoc egressi, duxerunt illum in insulam Naxiam, ubi per annum integrum patientissimus exul ob fidei defensionem constitit intrepidus & infrangibilis.

Sanctus Martinus ducitur exul in insulam Naxiam.

Sanctus Maximus viducitur Constantinopolim.

Liceat hîc sanctissimum Pontificem in Naxia per annum degentem relinquere, ut Constantinopolim adeuntes, Athletæ octogenarii glorioſa miremur pro Christi fide certamina, videlicet piissimi senis Maximi, de quo maxima forent dicenda, cùm maxima non nisi maximis debeantur. Romam hic petierat discedens ex Africa anno per Baronium quadragesimo-quinto post sexcentesimum, ut ibi de victoria, quam ex Pyrrho reportarat, efferret triumphos; multúmque operis & laboris Romæ insumpsit per annos quinque, ut doctrinâ & consilio præstò foret tum Theodoro, tum Martino in evertendo Monotheliſmo: immo cum in-

terfuiſſe Concilio Lateranenſi per Martinum habito, refert Baronius ex actis ejuſdem Maximi. Eodem igitur anno 650. Conſtantis Imperatoris nono, quo ſanctus Martinus à Theodoro Calliopa mittitur in Naxiam, Martyr Maximus ab urbe Roma vi raptus ſiſtitur Conſtantinopoli in judicio, cùm innotuiſſet Imperatori per Miniſtros Romæ commorantes, Maximum ſibi adverſari, & acriter obloqui in Imperatorium Typum, cujus ſubſcriptionem fruſtra conati ſunt ab ipſo extorquere quà blanditiis, quà minis Calliopas, Gregorius, aliique. SCRUTIN. II.

Calumnia Monotheli-tarum in ſanctum Maximum.

Cùm autem in innocentia Maximi nil prorſus occurreret, quod poſſet arbitrari dignum ſupplicii, calumnias invexit perfidia; nec alia mole poterat obrui innocentia. Multas igitur impoſturas in illum confinxere perfidi judices, & hos inter Sacellarius Conſtantis nomine Bucaleon, qui ut ſancto ſeni terrorem incuteret, paſſim eum proditorem & Imperatoris inimicum appellat, quæ prima fuit in Maximum calumnia, cùm dicerent magnas eum urbes prodidiſſe, ſcilicet Alexandriam,

SCRUTIN. II. Ægyptum & Pentapolim, eaſque tradidiſſe Saracenis. Huic alteram addiderunt, ſycophantis ad id probandum adductis, illum inſimulantes, quòd ſomnia confingeret, ut populos deciperet, nimiumque ſpectris & umbris indulgeret, atque Occidentis clariorem vocem reſonaret, quàm Orientis. Produxerunt inſuper in judicium Gregorium quendam filium Photini calumnioſè teſtantem, quòd Anaſtaſius Maximi diſcipulus Romæ affirmaſſet, nefas eſſe nec rationi conſentaneum, Regem appellari Sacerdotem. Nec his contenti, ut Origenis ſectatorem accuſabant orthodoxum virum, & inter vulgus furtim ſerebant, quòd ille Deiparam blaſphemaſſet. Quas omnes calumniarum nebulas ſplendore veritatis fugavit ſanctus Abbas, ut cerni poterit in collationibus habitis per eundem Maximum cum Anaſtaſio Cæſarienſi, & cum judicibus in ſecretario, quas edidit ex Anaſtaſio Pater Sirmondus.

Sanctus Maximus mittitur exul in Bizyam.

Conſilium igitur habentes Imperator Conſtans & Paulus Patriarcha, Maximum exilio damnant in quoddam op-

pidulum, cui Bizya nomen erat: duoſque Anaſtaſios, unum ſcilicet Maximi diſcipulum relegant Perberim, alterum verò Romanum Apocriſarium Meſembriam mittunt extorrem. Quinimmo, ut habetur in Hypomneſtico Theodoſii ac Theodori Monachorum, *infinitam multitudinem non ferenda & intolerabili perſecutione diverſis verberibus, & tribulationibus palam & occultè afficiebant, id agentes aſtuto & verſuto molimine, ut non pro fide, ſed ſub prætextu aliarum occaſionum tormenta ingererent & perſecutiones.* Nos interim Maximum comitemur in Bizyam, ibique per aliquot annos commorantem deſeramus, ut in Naxiam inſulam iterum revertentes, unà cum ſancto Pontifice Martino petamus Byzantium anno Chriſti quinquageſimo-primo poſt ſexcenteſimum. SCRUTIN. II.

Anno igitur Conſtantis decimo, qui coincidit cum anno Chriſti nuper citato, decimo-ſeptimo menſis Novembris Byzantium pervenit fortiſſimus Athleta, quem extractum è navi, ſcriba quidam nomine Sagoleva, cum multis excubitoribus poſuerunt in cuſtodia, ubi manſit intrepidus dies nonaginta-tres: *S. Martinus Byzantium ductus malè ibi habetur ab Hæreticis.*

SCRUTIN. II. quibus elapsis sistunt eum in judicio coram omni Senatu, ubi consulente impietate non tantùm calumniis & contumeliis eum onerarunt, verùm etiam catenis undique vinctum in Diomedis custodia in Prætorium Præfecti portarunt, ubi commoratus est dies octoginta-quinque, omni prorsus hominum orbatus auxilio, singulis autem onustus ærumnis: quæ quidem tales erant, tantæque, ut cùm à carnifice coram maxima turba populorum sanctus vir exagitaretur, *omnes qui eum videbant, & sciebant quia est Dominus in cælo inspector eorum quæ fiebant, demisso vultu cum multa mœstitudine recederent turbati.*

Paulus exhorret tormenta Martino illata.

Ipse quoque sceleſtus architectus funestissimæ tragœdiæ Paulus, vel invitus ingemuit, cùm audisset à Constante quanta mala pro Christo pateretur fortissimus fidei dux Martinus: quod exprimit unus ex illis, qui comes extitit sancto Martino, ut habetur epist. 16. epistolarum ejusdem. *Sequenti die* (ex quo scilicet sanctus Pontifex conjectus est in Diomedis ergastulo) *adiens Imperator in Patriarchium visendi gratiâ Pan-*

lum Patriarcham, (proximus enim erat morti) narravit ei quæ consummata erant in sanctissimum virum. Ingemiscens verò Paulus, conversus ad parietem dixit: Hei mihi! & hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum est. Percontatus ergo ab Imperatore, quid hoc esset, respondit: Nunquidnam, Domine, non est miserabile talia pati Pontificem? Pœnituit quidem Paulum Constantinopolitanum; sed etiam Judam pœnituit, qui *pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum.* Utrâque tamen pœnitentiâ nihilum uterque profecit: debet enim illa non è pœnarum formidine, sed è virtutis amore proficisci. Et quamvis Imperatorem Paulus adjurasset, ut jam sufficerent, quæ sanctus Martyr passus esset; tamen paucos post dies è carceribus extractum Chersonem mittunt, ubi tandem confectus ærumnis, fide tamen inconcussa, anno 6. sui Pontificatus, scilicet Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, glorioſus Martyr occubuit, maluitque tot ærumnas obire, & mortem ipsam fortiter opperere, quàm Imperatorio Typo, seu impiâ fidei formulâ fœdari.

SCRUTIN. II.

Pœnitentia Pauli & Judæ similes fuere.

SCRUTIN. II.

Dum hæc in Martinum agebantur argumenta impietatis, divina justitia consurgens in Paulum, ad suum tribunal eum evocavit. Quam ob rem fatis ereptus anno sexcentesimo quinquagesimoprimo, quando scilicet Chersonem missus est Papa Martinus, ad inferos properavit, suæ perfidiæ temeritatisque pœnas daturus. Quo sublato, Pyrrhus iterum Cathedram resumpsit, nec Paulo mitior, persecutiones in orthodoxos viros prosecutus est, donec & ipsum ad subeundas pœnas, morte præventum post menses quatuor & dies aliquot, antecessori socium apud inferos adjunxit justissimus Deus, ut qui pares fuerant sceleribus patrandis, non impares forent in subeundis delictorum pœnis.

Paulus, & inde Pyrrhus moriuntur.

Petrus eligitur, atque sedet annis duodecim.

Post obitum Pyrrhi, Petrus eligitur in Patriarcham, æquè cum decessoribus hæreticus, cujus artes fraudésque breviter aperiemus in sequenti Scrutinio. Fateor interim Petrum hunc fuisse superstitem, non tantùm Martino, verùm etiam Maximo, adeoque sedisse in Patriarchatu, non quidem duobus annis & mensibus tribus, ut aliqui putant cum Genebrardo, sed annis duodecim,

ut Nicephorus & Zonaras ſuis monumentis teſtantur apertè : quibus etiam aſſentitur Tharaſius Conſtantinopolitanus, dum actione ſecunda Synodi ſeptimæ affirmat, quòd *à Petro uſque ad ſextam Synodum non plures anni tranſierunt, quàm quindecim, in quibus ſederunt Thomas, Joannes & Conſtantinus.* Si verò duos tantummodo annos Petro tribuerimus, eumque cum Baronio dixerimus occubuiſſe anno Chriſti 656. non annos quindecim, ut aſſerit Tharaſius, ſed annos circiter viginti-quinque intercurriſſe dicendum eſt : tot enim interfluunt ab anno 656. ad annum 681. quo celebratum eſt ſextum Concilium. Quam ob rem libens aſſeruerim perſecutiones omnes ſanctis Martyribus Martino & Maximo fuiſſe inflictas per Paulum, Pyrrhum & Petrum, nec in iis infligendis partem ullam habuiſſe aut Thomam aut Joannem Petri ſucceſſores, cùm præſertim hæc unicè cohæreant actis ſextæ Synodi, quæ illos ut Orthodoxos agnoſcit, ut Scrutinio 3. exponemus. SCRUTIN. II.

At ubi Maximum immemores reliquimus Martino Martyri ſimillimum *S. Maximus ducitur iterum Byzantium.*

SCRUTIN. II. prælis, nec abſimilem triumphis? Longior ea de cauſa fuit illi ſpiritus, ut plura de hoſtibus efferret trophæa. Legatos accepit ab Imperatore adhuc immorans in oppido Byziæ Theodoſium Epiſcopum Cæſareæ, duoſque Patritios, Theodoſium ſcilicet & Paulum, cum quibus diſputationem inſtituens, eos de erroribus convictos juramento adſtrinxit, ut veram ſententiam de duplici Chriſti voluntate & operatione amplecterentur. Inde Conſtantinopolim perducitur, poniturque in Monaſterio ſancti Theodori, ad quem accedentes Troilus & Epiphanius Patritii; cum Theodoſio Epiſcopo aliiſque, ubi eum ſtabilem in fide reperiſſent, *conſurrexêre omnes*, (habentur hæc in actis ejuſdem Maximi) *& iracundiâ ducti, eum crebris vellicationibus pulſando, vexando debilitarunt, à capite ad ungues uſque ſputis inundantes, ex quibus tetrum exhalabat cœnum, quibuſque veſtis ejus tota impleta eſt*: pluribuſque aliis affectum contumeliis tranſtulerunt Selymbriam; inde verò Perberim ductus eſt anno Chriſti 656. annoque ſequenti ducitur iterum Conſtantinopolim, ubi habita fuit ce-

Contumeliæ & exilia S. Maximo illata.

lebris illa collatio cum Principibus in secretario, à qua nos non pauca deprompsimus, nec pauciora depromemus inferiùs. Cùm verò nulla spes impiis superesset illum in hæresim trahendi, tradiderunt Urbi Præfecto, qui *venerabilem senem distentum nervis durissimis jussit verberari, atque ita crudeliter cædi, ut ob defluentis sanguinis copiam subjectum pavimentum cruentaretur, caroque universa consumeretur, nec ullum sanum membrum & integrum relinqueretur.* Nec his contenti, postera die, ne amplius obloqueretur in Typum, *linguam ejus theologam*, (ita inquiunt acta sancti Maximi) *quæque sermonibus fluviorum instar scaturiebat, è faucibus à continua epiglottide sceleratissimè præcidunt.* Quod ipsum acerbissimum tormenti genus in Anastasium discipulum Maximi executi sunt, ut novo genere cruciatus patiente discipulo, simul & illius magister pateretur. Verùm cùm longè copiosior effluereret utrisque dicendi materies præcisâ linguâ, uberiorque excurreret ex ore Martyrum sermo divinus, manum dexteram viri barbari amputarunt iisdem, inde ab invicem eos sepa-

SCRUTIN. II.

S. Maximus vapulat, linguâque & manu truncatur.

SCRUTIN. II.

rantes; Maximum quidem exulem miserunt in castellum Alaniæ, Anastasium verò in Absagorum regionem: ubi tandem glorioſi Martyres palmis ornati, quas ſudoribus ſanguinéque ſibi irrigarant, egregium de victa impietate triumphum reportarunt anno Chriſti 657. licèt interim non pauca per Petrum Patriarcham fierent in Eccleſiam, quæ paulò pòſt aperiemus Scrutinio ſequenti.

Claditur Scrutinium.

Renuit jam calàmus ſanctorum Martyrum ſanguine perfuſus, ulteriùs progredi: reluctatur & animus tot ærumnis involutus quidquam inſuper addere in hoc Scrutinio. Etenim totus incumbens in evolvenda ſecum, hinc ſanctórum Martyrum Martini, Maximi, Anaſtaſii, aliorúmque inconcuſſa fide & pietate; inde Conſtantis, Pauli, Petri, & cæterorum non minori barbarie & perfidia, impotens eſt, ut vel iota dictis adjungat. Deficientibus enim fortiſſimis Athletis, ipſe quoque deficere in eorumdem honorem ducit opportunum, cætera in Scrutinio ſequenti daturus.

SCRUTI-

SCRUTINIUM III.

In quo reliqua Monothelitarum deliramenta expenduntur, necnon Catholicorum vigilantia in iisdem eludendis.

SUMMA SCRUTINII.

§. 1. *Eugenius Papa, licèt electus ante obitum Martini, non sedit legitimè, nisi eo defuncto, quamvis interim rejecerit Petri synodicam.*

§. 2. *Petrus ergo se convertit ad fraudes, decipitque Apocrisiarios Romani Pontificis.*

§. 3. *Defuncto Eugenio, Vitalianus dat litteras hortatorias Petro; synodicam verò mittit ad Constantem.*

§. 4. *In hac insuper synodica non afficit opprobriis Imperatorem, licèt Hæreticorum antesignanum.*

§. 5. *Quâ œconomiâ factum est, ut Constans Imperator dona direxerit beato Petro.*

§. 6. *Hæc autem dona potuit laudabiliter*

Vitalianus ab Imperatore recipere.

SCRUTIN. III.

§. 7. Quinimmo prudenter egit idem Pontifex, quando Constanti Romam accedenti se obvium præbuit.

§. 8. Quo consilio non tantùm id obtinuit, ut tres Patriarchæ Petri successores orthodoxi fuerint.

§. 9. Verùm etiam, ut ipse poneretur in diptychis, licèt plura egerint Monothelitæ, ut inde expungeretur.

§. 10. Quorum petitionibus Constantinus tandem indulsit.

§. 11. Licèt interim idem Imperator navaret operam, ut Concilium generale celebraretur.

§. 12. Qua de causa Agatho Pontifex Romæ celebrat præclarum Concilium.

§. 13. Et hoc ipsum præstant plures alii Episcopi diversis in locis.

§. 14. Ac tandem celebratur sexta Synodus œcumenica.

§. 15. Aperitur inde, cur Theodorus Constantinopolitanus non interfuerit Concilio.

§. 16. Finita Synodo diriguntur acta ad Leonem II. qui acriter invehitur in Honorium.

§. 17. Hanc autem sextam Synodum ten-

tavit evertere sacrilegus Imperator Philippicus Bardanes. SCRUTIN. III.

§. 18. *Brevitérque aperitur quibus de causis hæc penitus impia gesserit Tyrannus.*

§. 19. *Defuncto tamen Philippico, & succedente Anastasio, viguit iterum sexta Synodus.*

§. 20. *Quæ tamen non fuit omnino extinctus Monotheliſmus, dum ad nostra ferme tempora durasse compertum est, præsertim in Ecclesia Chaldæorum.*

§. 21. *Quod ipsum ostenditur de Ecclesia Armenorum.*

§. 22. *Ac demum de Ecclesia Maronitarum.*

FIDEM præstitam in fine Scrutinii præcedentis exsolvamus, & reliqua Monothelitarum deliramenta prosequentes, ad Eugenium Romanum, & Petrum Constantinopolitanum Antistites nostram convertamus orationem.

§. 1. EUGENIUS Pontifex anno 654. Martino Papæ succeſſit, ab ipsis incunabulis Ecclesiastico muneri penitus addictus, licèt adhuc superstite Mar- *Quando incœperi Eugenius legitime sedere.*

SCRUTIN. III. tino fuerit evectus in Cathedram Petri, ad id Sacerdotes impellente Calliopa Exarcho, qui minabatur futuram brevi electionem alicujus Monothelitæ per Imperatorem faciendam in Cathedra Romana, nisi celeriter exequerentur ejusdem consilia: quibus impiis suasionibus & tyrannicis consiliis præstitit aliquando consentire. Nihilominus adhuc vivente in insula Chersone sanctissimo Martino, & violenter ac illegitimè deposito, vicaria solùm potestate gregem Eugenius gubernavit, quem eo defuncto, ut canonicus Pastor & exemplo pavit, & confovit doctrinâ. Ad hunc igitur Eugenium anno Domini 653. adhuc vivente Martino, Petrus Constantinopolitanus synodicam direxit obscurissimam & ambagibus involutam, adeo ut nec ab Eugenio, nec à Clero fuerit suscepta, ut scribit Liber Pontificalis Anastasii, cujus verba producemus in Scrutinio 7. ad aliud intentum conficiendum.

Petrus synodicam mittit Eugenio, quæ non acceptatur.

Petrus studet evertere sanctum Maximum.

Præterea ex officio ejusdem Petri & Imperatoris Constantis Theodosius Episcopus Cæsareæ Bithyniæ progressus est ad sanctum Maximum in castrum Bi-

zyam unà cum Paulo & Theodosio Consulibus, ut si quo modo possent, ad communicationem cum Throno Constantinopolitano raperent eundem: qua occasione habita est celebris illa collatio inter Maximum & Theodosium, quæ habetur inter Collectanea Anastasii, & ex qua nos in Operis decursu non pauca delibavimus. SCRUTIN. III.

§. 2. QUIS Orthodoxorum non has exhorreat in Petro fraudes & iniquas suggestiones? Et tamen nec hisce contentus longè pejora molitus est: quippe eò temeritatis devenit, ut volens & Catholicis & hæreticis assentiri, triplicem in Christo voluntatem prædicarit; scilicet unam subsistentialem cum Monothelitis, duas verò naturales cum Orthodoxis. Unde jure maximo dixit sanctus Agatho in sua synodica ad Constantinum, *Petrum & unam & duas voluntates & operationes in dispensatione incarnationis Salvatoris nostri* JESU CHRISTI *sapere se protestari.* Cui pariter hæresi decepti tandem à Petro & illecti assensi sunt Romani Pontificis Apocrisiarii, ut in fine Scrutinii quarti satis indicabimus: ex qua Apocrisiariorum

Idem Petrus triplicem in Christo ponit voluntatem.

Quin etiam decipit Apocrisiarios.

SCRUTIN. III. confirmatione insultantes in Maximum judices in secretario sic eum alloquuntur: Quid habes facere, cùm Romani Byzantiis uniantur? nam ecce heri venerunt Apocrisiarii Romæ, & crastino die dominico communicant cum Patriarcha, ac omnes manifestè cognossent, te depravasse Romanos; videlicet, te illinc sublato, nobis assentiuntur. Quorum petulantiam retundens Maximus respondit: Nec mihi unquam persuadeo Romanos his qui hîc sunt, communicaturos, nisi confiteantur, Dominum nostrum ac Deum secundùm utramque naturam, ex quibus, & in quibus est, quæque ipse est, habere volendi facultatem, & operandi salutem nostram.

Vitalianus dat litteras hortatorias ad Petrum.

§. 3. OMNIA huc usque prolabebantur in interitum, donec emortuo Eugenio die secunda Junii, cùm sedisset ab obitu Martini mensibus circiter septem, sufficitur eodem anno 655. Vitalianus, sub cujus Pontificatu spes quædam effulsit Ecclesiæ, ut pace tandem frueretur. Adepto igitur Episcopatu, litteras dedit hortatorias ad Petrum, (hoc ipse Petrus affirmat in rescripta.

ad eundem, quæ habetur in sexta Synodo act. 13.) exorans eum, ut fidem Catholicam amplecteretur: qui tamen versipellis excusationes accumulans, rescripsit in epistola citata, se singula profiteri, quæ sibi credenda proposuerant veteres Patres: ex quorum monumentis aliquas exhibens sententias, eas ita temere detruncavit, ut in sexta Synodo act. 13. Patres Concilii tantum facinus execrati, illas indignas arbitrati sint, ut earum lectio procederet. SCRUTIN. III.

§. 4. RURSUS cum hac epistola hortatoria, quam ad Petrum dedit Vitalianus, *direxit quoque* (verba sunt Anastasii in Vitaliano) *Responsales suos cum synodica in Regiam Urbem ad piissimos Principes, significans de ordinatione sua; & dum susceptí essent, renovantes Ecclesiæ privilegia, reversi sunt.* In hoc occurrit notatu dignum, quòd Vitalianus non ad Petrum, sed ad Imperatorem & Principes Imperii synodicam direxit: tum quòd epistolam Petri ut hæreticam ejecerat decessor Eugenius: tum etiam quòd Imperator ex importuna suggestione & calumniis impiorum Patriarcharum in Catholicos ad- *Idem Papa mittit synodicam ad Constantem.*

SCRUTIN. III. inventis potiùs, quàm ex obstinata perfidia, in fidem Catholicam visus esset egisse quæcunque in Martinum & Maximum, alioſque Orthodoxos fuerat executus: tum demum, quòd saltem in hanc partem benignè traheretur à Vitaliano in utilitatem Ecclesiæ, quo pariter consilio in Concilio Lateranensi Martinus ipse, Patresque alii Constantem eundem, licèt fidei infensissimum, honorantes, contumeliis afficiunt Patriarchas, nullibique leguntur anathematizati aut Heraclius, aut Constans, licèt hæresis Monotheliticæ fuerit unus auctor, alter verò propugnator acerrimus.

Constans Imperator mittit dona sancto Petro.

§. 5. HAC prudenti Vitaliani œconomia factum est, quòd *per eosdem Missos* (uti subdit Anastasius) *direxit Imperator Beato Petro Evangelia aurea gemmis albis miræ magnitudinis ornata in circuitu*: satis indicans hæc contigisse non multùm pòst ab electione Vitaliani. Cui pariter consentiens Beda in lib. de sex mundi ætatibus: *Constantinus Princeps*, (sic plures ex Historicis vocant Constantem) *Vitaliano Papa nuper ordinato, misit Beato Petro Apostolo*

Evangelia aurea gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata. Et est satis probabile, direxisse quoque synodicam, quæ præseferret Orthodoxiam, licèt de hoc sileant veterum monumenta. Hæc ego dona non ita promptè crediderim Constantem dedisse in obsequium pietatis & sinceræ religionis, sed potiùs obtulisse Romanis in argumentum timoris, scilicet ut sibi caveret, ne dum in Oriente fortuna Imperii prolabebatur in interitum, Occidens etiam effervens irâ ob illata Martino Papæ tot genera tormentorum, ab ejus obedientia declinaret. Si enim hæc in initio Pontificatus Vitaliani contigere, ut Anastasius, Beda, aliique testantur: quî fieri possit, ut ea fuerint argumenta religionis & specimen pœnitentiæ, cùm ad hæc sint consecuta ex Constantis imperio tot acta tyrannicè in sanctum Maximum & discipulos, qui non nisi ad annum tertium Vitaliani agonem consummarunt? Quamvis enim Scrut. 2. sancti Maximi martyrium narraverimus, illud hîc, ut ordo temporum exigebat, libenter repositissemus, ni Martini gloriosa certamina pla-

SCRUTIN. III.

Quo fine Constans ea dona direxerit.

SCRUTIN. III.

Constans canit palinodiam de Monotheliſmo.

nè coëgiſſent ibidem enarrare. Ut ut res habeat de palinodia Conſtantis vel ſincera, vel ſimulata, ſanè aliquomodo eum ab hæreſi reſipuiſſe certiſſimum eſt: quod inter alios aſſerit apertiſſimè Otho Friſingenſis in Chronico lib. 5. *Conſtans congregata ſub Vitaliano Papa Synodo hæreſim abdicavit, & Beato Petro miræ magnitudinis Evangelia auro cooperta, gemmis ornata miſit.* Cui ſocium addiderim Sifridum in epiſt. lib. 1. ubi ſic: *Conſtans hæreſim abdicavit, & Romam veniens Eccleſiam ſancti Petri multis donis ſublimavit.* A quo etiam principio non abhorret Cardinalis Baronius & ejus aſſeclæ.

Non debuit Vitalianus ea dona rejicere.

§. 6. POTUIT igitur Vitalianus, & ex officio debuit, dona Conſtantis ſancto Petro oblata, non ejicere, ne videlicet Imperatorem animaret in Eccleſiam. Si enim uſque adeo humaniter in Conſtantem egerunt Martinus & Eugenius, dum ille furens in fidem bacchabatur: cur adeo rigidè ſe gerere debuiſſet Vitalianus, Imperatoris munera contemnendo, cùm aliqua jam pœnitentiæ crepuſcula, adeo fidei ſalubria, in Conſtante eluceſcerent? Res qui-

dem admirabilis fuit hæc, sed omnino vera. Continuere se Martinus, Eugenius & Vitalianus à damnatione Constantis, licèt hic in Ecclesiam quæcumque pessima fuisset aggressus. Quænam enim adeo sceleſta & sacrilega possunt excogitari, cum iis conferenda, quæ Constans operatus est in fidem, & in ejus suprema capita, Romanos, inquam, Pontifices? Et tamen non solùm ab infligendo anathemate sese continuerunt Martinus, Eugenius & Vitalianus; verùm etiam illum laudantes, omne genus urbanitatis exercuerunt, ut ejusdem animum demererentur, & ad bonam frugem reducerent. SCRUTIN. III.

§. 7. HAC ergo de causa Romam accedens idem Constans anno Christi 663. quælibet argumenta benignitatis à sancto Vitaliano suscepit, adeo ut illi occurrerit prudentissimus Pontifex sexto ab Urbe lapide, uti scribit Anastasius; nulloque modo exprobravit Imperatori aut perfidi Typi promulgationem, aut tyrannicum fratricidium, aut barbarè gesta in Martinum, aut carnificinam sancti Maximi & discipulorum: sed *Constans Romam accedens bene excipitur à Vitaliano.*

SCRUTIN. III.

his omissis eum benignè susceptit, & ita susceptum coluit humaniter. Quibus omnibus officiis id emeruit Vitalianus, ut ostium aliquod aperiretur Ecclesiæ tranquillitati, cùm Constans tot affectus honoribus, multa abhinc dona contulerit Romanis Ecclesiis, & sin minus esse, videri saltem voluerit orthodoxus usque ad spiritûs emissionem. Quinimmo non desunt Historici, ac inter eos Otho Frisingensis loco superius citato, qui referant, quod *ille cogitabat Imperium ab Urbe transferre, eo quòd Constantinopolitanos, qui ei de sacrilegio in Martinum Papam commisso consilium dederant, tanquam Hæreticorum fautores exosos haberet.* Rarò quippe contingit, ut Principes asperitate frangantur; evenit autem creberrimè, ut flectantur officiis: diversóque modo demerentur Regales animi & plebis affectus; isti enim terrori cedunt, at illi non nisi per amorem vinci patiuntur.

Vitalianus suâ prudentiâ aperit ostium unioni Ecclesiarum.

§. 8. NIL est quod inde miremur, si tres Patriarchæ Constantinopolitani, Thomas, Joannes & Constantinus, qui Petro hæretico succedere, fuerint orthodoxi, & Catholicam fidem profes-

Tres Patriarchæ Petri successores fuerunt orthodoxi.

Ad quid enim non impellunt capitum exempla? Unde Imperatore, saltem apparenter, Catholico, & urbanè agente cum Catholicis, facilis fuit Ecclesiarum pax & fidei tranquillitas. De horum igitur Patriarcharum Constantinopolitanorum orthodoxia hæc inquiunt Patres sextæ Synodi act. 14. ubi cùm eorumdem monumenta percurrissent, *Corporali*, inquiunt, *sacramento in nostra audientia, & glorioſissimorum judicum, qui nobiscum sunt, persoluto à Georgio Deo amabili Diacono & Chartophylace sanctæ hujus magnæ Ecclesiæ Dei, perfectamque nobis satisfactionem hujusmodi corporali verbo perhibente, quòd nullatenus sanctæ memoriæ Thomas, Ioannes & Constantinus à quibusdam libellos extorserunt de una operatione & voluntate: hos sanctæ memoriæ tres viros, id est, Thomam, Ioannem & Constantinum, prævidimus in identitate manere, atque in sacris diptychis sanctarum Ecclesiarum recitari, utpote qui in omnibus immaculati & irreprehensibiles inventi sunt circa rectam Christianorum fidem.* His etiam consona nobis exhibet Tharasius Constantinopolitanus in septima Synodo act. 2. ubi refert aper-

SCRUTIN. III.

SCRUTIN. III. tè, quòd *Thomas, Ioannes & Constantinus à prædictis hæreticis* (scilicet Patriarchis antecessoribus) *fuerant ordinati, nec propterea reprobati sunt.* Quam obrem malim cum sancta sexta Synodo, necnon Tharasio, illos ut orthodoxos venerari, quàm cum recentioribus eorum nomina contumeliis afficere: in hoc imitatus Anastasium, qui, ut etiam alibi dicam, nos admonet, ut in dubio constituti meliora semper de Catholicis indicemus.

Vitalianus ponitur in diptychis.

§. 9. TOT ergo salubrium Ecclesiæ fructuum extiterat parens Vitaliani clementia, & prudens in Constantem œconomia, qua illum bene semper afficerit, adeo ut sic illius animum & Constantini filii fuerit emeritus, ut ipse solus post Honorium in sacris diptychis honorificè legeretur, expunctis unanimiter aliorum Pontificum nominibus, licèt Theodorus Patriarcha Constantinopolitanus, successor Constantini, & Macarius Antiochenus, ambo Monothelitæ, enixè laborarint apud Constantinum Imperatorem, ut Vitaliani nomen è diptychis eraderetur, donec per Concilium generale decretum su-

Monothelitæ curant ut Vitalianus expungatur è diptychis.

per hoc fieret inviolabile. *Multam nobis instantiam* (inquit Constantinus in epist. ad Donum) *fecerunt tam hic sanctissimus Patriarcha, quámque Macarius sanctissimus Patriarcha Theopoleos, ut ejiceretur Vitalianus beatissimus è diptychis, &c. Nam non acquievêre, ut memorentur Patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædicta sancta Romana Ecclesia, donec conquisitio & satisfactio proveniat verborum, de quibus contenditur inter utrasque sedes, &c. Sed ad hoc nos non acquievimus, id est, ut ejiceretur idem Vitalianus è diptychis, hoc quidem, utpote omnem æqualitatem servantes, & utrosque orthodoxos habentes.* SCRUTIN. III.

Quamvis autem, ut liquet ex citatis Constantini verbis, initio reluctarit Imperator, ne Vitaliani nomen è diptychis expungeretur; porrectis tamen iterum atque iterum non tantùm à Patriarchis Constantinopolitano & Antiocheno, verùm etiam à plurimis Episcopis, libellis super hac Vitaliani nominis controversia: visus est Imperator acquievisse tandem eorum supplicationibus, ne iterum Ecclesia scissuras maximas pateretur, dum spes non exigua irradiabat futuræ pacis atque unionis. *Constantinus tandem indulget petitionibus Monotheli-tarum.*

SCRUTIN. III. Quæ singula satis probabiliter eruuntur ex sexta Synodo act. 8. ubi Georgius Constantinopolitanus sic Imperatorem alloquitur: *A Deo coronate Domine, jubeto mitti in diptychis sanctarum Ecclesiarum nomen sanctæ memoriæ Vitaliani Papæ Romæ, eo quòd propter tarditatem missorum Apocrisiariorum à sanctissimo Papa ejusdem antiquæ Romæ petitionem tunc dedisse constat ad mansuetissimam vestram fortitudinem, tam partem sanctæ meæ Ecclesiæ, quàm etiam Machárium venerabilem Archiepiscopum Antiochiæ, cosque qui illo tempore venerunt in hanc à Deo servatam vestram Civitatem, Deo amabiles Episcopos, ut prædictus sanctæ memoriæ Vitalianus ejiceretur de sanctis diptychis, & restitui nobis hujusmodi petitionem.*

Qua de causa Imperator indulserit ut expungeretur Vitalianus.

§. 10. NON abs re in adductis nuper Georgii verbis inferuntur illa verba: *Eo quòd propter tarditatem missorum Apocrisiariorum à sanctissimo Papa ejusdem antiquæ Romæ, &c.* Spoponderat quippe Constantinus Patriarchis prima vice rogantibus, quòd quàm citò celebraretur Concilium, in quo præsentibus Legatis Pontificis fieret disquisitio de omnibus hisce dissensionibus. *Polliciti sumus* (sic loquitur

loquitur Constantinus in sua sacra ad Donum) *prædictis sanctissimis Patriarchis, quòd per omnia dirigat vestra paterna beatitudo homines, qui debeant conquirere cum ipsis; & tunc secundùm quod claruerit, perfecta dispositio fiat, &c.* Verùm cùm & obitus Doni, & electio successoris Agathonis, & convocatio Episcoporum Occidentalium, & celebratio Concilii Romani sub Agathone, fuerint impedimento, ne Agatho ita celeriter mitteret Constantinopolim Legatos, adeo ut duo circiter anni intercurrerint à data epistola Constantini ad Legatorum adventum: inde factum est, ut Monothelitæ prætexentes longam moram Legatorum ex parte Romæ veteris, hinc arbitrati, Romanum Pontificem contemnere communionem cum Orientalibus; novos supplices libellos exhibuerunt Constantino de ejiciendo Vitaliano, quibus tandem aliquando visus est assentiri, vel saltem connivere. Non enim Vitaliani expunctionem eo inscio, multoque minùs invito, factam credideriim, cùm verba ex Concilio nuper citata Imperatoris consensum, vel saltem conniventiam, probabiliter evincant. SCRUTIN. III.

SCRUTIN. III.

Constantinus scribit Dono pro unione.

§. 11. AT quorsum hæc? Properemus alacri calamo ad sextam œcumenicam Synodum, ut Scutinium absolvamus. Defuncto Vitaliano, anno Christi 669. sufficitur Adeodatus, de quo nihil reperi apud Historicos, in negotio Monothelitarum peculiariter confectum, quamvis per septem circiter annos Ecclesiam rexerit. Fatis igitur eo concedente, subrogatur Donus, ad quem Constantinus Pogonatus, vir orthodoxissimus, Constantis filius, & post necem parentis hæres Imperii, direxit epistolam ad unionem Ecclesiarum synodicè celebrandam: quam ob rem bellis acribus cum Saracenis & Bulgaris jam extinctis, prælia quoque Ecclesiasticorum, longè sæviora sæcularibus, toto conatu studuit compescere. Ea tamen epistola ad Donum data pervenit ad Agathonem, qui Dono è vivis erepto, cùm per annum & menses sedisset, fuerat subrogatus. In iis tamen litteris, sicut etiam in sexta Synodo, ita se gessit Constantinus Imperator, ut Monotheliſmi fautores haberet honorificè, donec in illos communi Patrum calculo fulminata sunt

Agatho recipit epistolam Doni.

anathemata; unde in eadem sacra ad Donum directa inquit Imperator: *Per Deum omnipotentem non est apud nos partis cujuslibet favor; sed æqualitatem utriusque partibus conservabimus.* Et in eadem, nec rarò, Theodotum Constantinopolitanum, & Macarium Antiochenum, licèt celebres Monothelitas, *beatissimos & sanctissimos* appellat. Haud absimiliã exempla habemus in Concilio Florentino, in quo Græci Patres, ac præsertim Marcus Ephesinus, licèt hæresibus aspersi, humaniter à Latinis excepti sunt ob utilitatem Ecclesiæ, ad reddendam rationem eorum, quæ apud ipsos invaluerant dogmatum; nulliſque probris affecti leguntur aut contumeliis. SCRUTIN. III.

§. 12. SUSCIPIENS igitur sanctissimus Agathò epistolam Constantini, in id incubuit enixè, ut pax Ecclesiæ tandem redderetur: quam ob rem anno Christi 680. collectis Episcopis Occidentalibus Concilium habuit Romanum centum & viginti quinque Antistitum, ut in actione quarta sextæ Synodi legitur. Hujus acta Concilii, tempore corrodente, periere, demptâ solummodo epistolâ, quam Patres ad Con- *Agatho Papa Romæ celebrat Concilium.*

SCRUTIN. III.

ſtantinum direxerant, & quæ refertur in ſexta Synodo act. 4. In eo igitur Romano Concilio & damnatus eſt Monotheliſmus, & electi Legati, qui nomine Synodi, Conſtantinopolim adeuntes, intereſſent œcumenico celebrando Concilio : iique fuere Joannes Epiſcopus Portuenſis, Abundantius Paternenſis, & Joannes Regienſis, uti paſſim legitur in actis ſextæ Synodi. Peculiares etiam Legatos direxit ſanctus Agatho cum propria pariter epiſtola ad Conſtantinum, ut ſua vice præeſſent Concilio, videlicet Theodorum & Georgium Preſbyteros, & Joannem Diaconum; quibus Anaſtaſius Bibliothecarius & Leo ſecundus addunt Conſtantinum Subdiaconum : cum quibus etiam profecti ſunt Conſtantinopolim plures Monachi unà cum Theodoro Preſbytero locum gerente Theodori Epiſcopi Ravennatis.

Pluria alia Concilia contra eoſdem celebrantur.

§. 13. AD hæc etiam tempora, alia plura Concilia in Occidente celebrata leguntur adverſus eoſdem Monotheli-tas, præſertim in Gallia, cujus Epiſcopi Legatos miſerunt ad Concilium Romanum Felicem Arelatenſem, Adeodatum Leucorum Epiſcopum, & Tau-

rinum Diaconum Ecclesiæ Telonensis, quorum nomina subscripta sunt unà cum aliis Episcopis post epistolam Concilii Romani sub Agathone. Rursus in Britannia adversus eandem hæresim Monothelitarum Synodus habita fuit per Theodorum Archiepiscopum, cujus aliqua fragmenta refert Beda lib. 4. cap. 17. & ex parte illius Concilii electus est Legatus sanctus Wilfridus Episcopus Eboracensis, qui aliis de causis Romæ commorabatur, cujus subscriptio pariter habetur post citatam nuper epistolam Concilii Romani. Demum per Mansuetum Mediolanensem Episcopum habitum est Concilium Mediolani, ut eadem hæresis profligaretur: ex qua Synodo sola supereſt synodalis epistola ad Constantinum Imperatorem, quam Baronius adducit tom. 8. ad annum 679. SCRUTIN. III.

§. 14. TOT igitur Conciliis provincialibus profligatus Monotheliſmus, ecquid aliud superat, nisi ut Concilium generale celebraretur? Incœptum igitur illud fuit Constantinopoli anno salutis 680. septimo die mensis Novembris, cui pariter interfuit piissimus Impera- *Celebratur sexta Synodus œcumenica.*

SCRUTIN. III. tor cum ſuis Magiſtratibus : interfuêre etiam Legati Romani Pontificis, quorum nomina §. 12. retulimus. Præſentes etiam fuêre duo Patriarchæ, videlicet Georgius Conſtantinopolitanus, & Macarius : nec abfuerunt Legati ſedis Alexandrinæ & Hieroſolymitanæ, videlicet Petrus & Georgius Monachi. De numero verò Epiſcoporum non convenit apud Hiſtoricos. Theophanes atque Cedrenus arbitrantur interfuiſſe Epiſcopos ducentos & octoginta-novem : centum & ſeptuaginta numerat Photius in libello de Synodis : in actis tamen ejuſdem ſextæ Synodi act. ultima ſubſcripti reperiuntur centum ſexaginta ſex. Quare cùm nil in hoc poſſit certè decerni, non eſt cur diutius immoremur.

Quinam damnati à ſexta ſancta Synodo.

In hoc œcumenico Concilio, non tantùm dogmata Monothelitarum damnata ſunt, verum etiam perſonæ, ac inter mortuos Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus, Conſtantinopolitani, necnon Honorius Papa Romanus; quod ut probabile ſupponimus ex Scrutinio ſexto : inter vivos autem anteſignanus Macarius Monothelita-

rum, pessimus, & Macarii discipulus Stephanus, quin & Policronius senex delirus ac miraculorum somniator, siqui sunt alii minoris notæ considerationisve. Georgius verò Constantinopolitanus, licèt ante Concilium saperet Monothelitam, in Concilio tamen hæresim abjuravit, unde correctus est. Et quidem de ejus correctione testem affero Bedam lib. de sex mundi ætatibus sic aientem: *Finito autem conflictu, Georgius correctus est; Macarius verò cum suis sequacibus, &c.* Bedæ socium addiderim (ut interim omittam Paulum Diaconum) Humbertum Cardinalem Silvæ Candidæ lib. contra Nicetam, ubi sic: *Gregorius quidem* (Gregorium vocat, quem appellant Georgium acta synodalia) *correctus est; Macarius verò cum suis sequacibus, simulque prædecessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro, anathematizati.* SCRUTIN. III.

Georgius correctus est à sexta Synodo.

§. 15. QUA verò de causa contigerit ut Theodorus Patriarcha Constantinopolitanus Patriarchatum deposuerit, dum urgebat Synodi celebratio, adeo ut in ejus locum substitueretur Georgius, non admodum mihi constat.

Cur Theodorus non interfuerit Concilio.

SCRUTIN. III. Non ita tamen facilè crediderim cum fidei causâ fuisse depositum : satis enim indicavimus §. 5. Constantini œconomiam, qua Monothelitas omnes benè habuerit, donec per Concilium generale proscriptus fuit Monotheliſmus. Ad hæc, & quis crediderit Theodorum ob hæresis causam fuisse Patriarchatu spoliatum, simulque in ejus locum subrogatum Georgium, ipsum quoque Monothelitam, qui per Concilium correctus est ? Nec item mihi persuaserim fuisse depositum ob expunctionem Vitaliani Pontificis à sacris diptychis, inscio vel invito Constantino, ut quidam celebres Historici opinantur : tum quia id non esse satis firmum in hoc eodem Scrutinio §. 9. & 10. indicavimus : tum etiam, quia si Constantinus in pœnam temeritatis Theodorum Patriarchatu spoliavit, cur inde Macarium Antiochenum socium Theodori in expunctione Vitaliani, atque illo certè deteriorem, nedum non deposuit, verùm etiam honorificè habuit, speciosisque titulis insignivit, donec de ejusdem pertinacia in hæresi tuenda constitit ? Quocunque tamen ex capite Theodori

depositio contigerit, liquet Georgium illi fuisse suffectum, & sextæ Synodo interfuisse: quo deinde brevi sublato, Patriarchatum iterum obtinuit Theodorus, celebrato jam Concilio. Quæ gravis est conjectura ad probandum, Theodorum ab hæresi respuisse, quemadmodum Georgium hæresim abjurarat. SCRUTIN. III.

§. 16. FINITO igitur Concilio, & actionibus octodecim comprehenso, ad Patriarchales sedes diriguntur exemplaria, quorum unum Romam mittitur, quod defuncto jam Agathone ad Leonem secundum pervenit, unà cum epistola Constantini ad eundem directa. De hujusmodi verò codicum directione ad Patriarchas hæc inquit Agatho Diaconus scriba ejusdem Concilii, in sua peroratione ad eandem Synodum: *Quinque Patriarchalibus sedibus tradita definitionis ejusdem eadem Patrum subscriptione munita exemplaria, eodem conscripsi modo, ita jubente piæ recordationis Imperatore Constantino, ac sic fieri præcipiente, quo fidei orthodoxæ sinceritas atque veritas nullis pateret insidiis.* Leo igitur secundus Romæ Episcopus acta Synodi can- *Acta Concilii diriguntur ad Patriarchas.* *Leo II. acriter invehitur in Honorium.*

SCRUTIN. LII.

dida ſuſcipiens, non ſolùm illa confirmavit quoad hæreſis proſcriptionem, ſed etiam quoad perſonarum damnationem, ac præſertim Honorii, in quem acriter invehitur ſemel, iterum & tertiò. Et quamvis in epiſtola ad Conſtantinum phraſibus utatur, quibus uſum eſt Concilium in Honorii damnatione; negari tamen non poteſt, quòd eas alibi limitat, Honoriúmque potiùs inſimulat pinguis negligentiæ & culpabilis conniventiæ, quàm hæreſeos. Ex quibus confirmabuntur, quæ ſumus dicturi Scrutinio 7. & 8. circa lapſus Honorianos. Verba verò Leonis, quibus Honorium perſtringit in epiſt. ad Conſtantinum, ea ſunt: *Anathematizamus novi erroris inventores Theodorum, Cyrum, &c. necnon & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicâ traditionis doctrinâ luſtravit, ſed profana perditione immaculatam fidem ſubvertere conatus eſt.* Hanc autem ita rigidam cenſuram ſic reſtringit idem ſanctus Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Æterna damnatione mulctati ſunt, &c. Theodorus, Cyrus, &c. cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut*

decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit. SCRUTIN. III. Atque iterum in epistola ad Ervigium Regem Gothorum eadem inculcans, *De Catholicæ*, inquit, *Ecclesiæ adunatione privati sunt Theodorus Pharanitanus Episcopus, &c. & unà cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis accepit, maculari consensit.* Hæc in Honorium sanctus Pontifex Leo secundus, quæ ut penitus eludant zelantes Honorii vindicatores, aliqui confictas, violatas aliqui ab hæreticis tres has epistolas affirmant. Nos isthæc asserere non audemus, ne videlicet auctoritatem omnium epistolarum Pontificum evertamus, aut saltem enervemus: in quod absurdum fas est impingere, si eâ viâ semel incesserimus. *Quomodo eludantur ab aliquibus dicta Leonis.*

Hi sunt, quos attulimus, Monothelitarum conatus à primo illo congressu Heraclii Imperatoris cum Paulo Severiano, usque ad celebrationem & confirmationem sanctæ sextæ Synodi: qua celebrata miratus est Orbis Christianus eversum Monotheliſmum, & ad inferos, unde exierat, rediisse, ejusque pro- *Celebrata Synodo, pace fruitur Ecclesia.*

SCRUTIN. III. pugnatores vel correctos cum Georgio Constantinopolitano, vel damnatos inter hæreticos cum Macario Antiocheno, quem etiam Patriarchali dignitate meritò spoliarunt, atque eam Theophani viro Catholico contulêre Patres ejusdem sexti Concilii.

Bardanes invehitur temere in sanctam sextam Synodum.

§. 17. NON his autem acquievit rector tenebrarum, ferens ægrè Catholicum Orbem in unitate fidei persistere, sanctámque sextam Synodum juxta merita ab omnibus coli: quam ob rem anno Christi 711. Tyrannum illum excitavit Philippicum Bardanem, invasorem Imperii, fideique desertorem, ut eandem Synodum barbara vi aliisque fraudibus enervaret. Unde convocata pseudo-synodo Episcoporum Orientalium, sanctum sextum Concilium anathematizavit, uti tradit apertè Theophanes hisce verbis agens de Philippico: *Cùm regnaret, fecit pseudo-synodum Episcoporum juxta pseudomonachi & Inclasi sermonem; & abjecit sanctam & universalem sextam Synodum.* Cui pariter satanæ Conciliabulo assensi sunt inter alios Episcopos Andreas Metropolita Cretensis, & Germanus Cyzicenus, qui

Celebrat impius Conciliabulum.

defuncto Joanne, Patriarchatum rexit Constantinopolitanum, uti narrat idem Theophanes hisce verbis: *Andreas Metropolita Cretæ & Germanus Cyzici Metropolita propalam subscripserunt, & anathemate damnarunt cum omnibus collegis præfatam in Monothelitas celebratam sanctam œcumenicam Synodum.* Et insuper ausus homo sacrilegus imaginem sextæ Synodi Orientalibus venerabilem impiè delere, uti narrat Joannes Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Constantinum Papam, inquiens de Philippico: *Veniens ad conservatam à Deo Urbem, hanc cum externa potentia, &c. ante ipsum suum ingressum pro Regiæ vestibulis propositam sacræ sextæ Synodi imaginem sustulit.* Ejus loco seipsum cum Sergio ab eadem Synodo damnato pingi curavit, si fidem habeamus Agathoni Diacono scribæ ejusdem Synodi, in sua illa peroratione alibi citata, sic loquenti: *Quia verò post superiùs declaratam integræ Synodorum imaginis, erasa sextæ Synodi imagine, abolitionem, qui nefariè aboleri jusserat miser ac insanus Bardanes in dicta Melii camera, sanctis tantùm quinque relictis œcumenicis Synodis, ipse se unà*

SCRUTIN. III.

Deponit sextæ Synodi imaginem.

Ejus loco Sergium & se pingit.

SCRUTIN. III. *cum Sergio rectum ſtantem ejus medio in imagine depingi præceperat.*

Comburit acta ſexta Synodi.

Nec his contentus homo ſceleſtus, auſu nefando acta ejuſdem ſextæ Synodi flammis conſignavit, eodem teſte Agathone Diacono ſcribente: *Præfatos quoque ſanctæ ejuſdem ac œcumenicæ ſextæ Synodi cum mea ipſius manu conſcriptos inveniſſet actorum tomos educens publicanſque, igni in ſecreto Palatii tradidit ac abolevit, &c.* Peſſima quidem ſunt hæc, ſed adhuc iſtis pejora molitus eſt Philippicus: quippe ſynodicam perfidiâ plenam ad Conſtantinum Romanum Papam direxit, ut Occidentalem Eccleſiam eadem pravitate fœdaret, qua deturparat Orientalem. Unde ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in Conſtantino: *Ejus* (Philippici) *ſacram cum pravi dogmatis exaratione Conſtantinus ſuſcepit, ſed eam Apoſtolicæ Sedis conſilio reſpuit.* Inde factum ego putarim, ut idem Bardanes in Romanos Pontifices, qui fidem Catholicam in Monothelitas fuerant profeſſi, acriter inſurrexerit, temere jubens ut iniquo anathemate fulminarentur: quam ob rem Joannes Conſtanſtinopolitanus in epiſtola ad Conſtanti-

Mittit epiſtolam impiam ad Conſtantinum.

num Papam Romanum de eodem Bardane asserit voluisse eum, *ut prefata sancta sexta Synodus anathemati subjiceretur, ac quotquot Apostolicæ ac venerandæ Sedis vestræ decessores sincerum veritatis dogma docuissent.* SCRUTINIUM III. *Romæ Episcopos damnat.*

His impiis conatibus libellum addidit, in quo abrogatio sextæ Synodi continebatur, illúmque ad Episcopos direxit, ut ab iisdem hæresis comprobaretur: quod si peragere renuissent, barbara rabie insequebatur, & malis plurimis afficiebat. Quæ singula perstringens Agatho citatus sic ait: *Piis plurimis ac Orthodoxis persecutionem inferens, eorúmque nonnullos exilio relegans, eos maximè, qui libello juxta quod ipse jussisset, composito ac dictato, de fide scilicet, ac velut pro sancta ipsa ac œcumenica sexta Synodo abroganda haudquaquam subscribere voluissent.* *Persequitur Orthodoxos.* His ergo de causis Cyro Patriarcha Constantinopolitano illegitimè deposito, optasset impius *profanum*, (ita loquitur Joannes Constantinopolitanus in epistola citata ad Constantinum) *nec Ecclesiastici nostri ordinis hominem eadem secum perversè sapientem in Pontificali throno constituere.* *Tentat hominem laïcum intrudere in Patriarchatum.* Cùm autem Clerus

SCRUTIN. III. Constantinopolitanus viriliter obstitisset, satius arbitratus est Joannem, de quo nuper diximus, Cyro sufficere, suæ impietatis socium, ut inquit Cedrenus, sive Monothelitarum antesignanum, uti indicat Baronius.

Cur tot impia gesserit Bardanes in sextam Synodum.

§. 18. QUA verò de causa Tyrannus iste Bardanes tanto impetu in sextam Synodum insurrexerit, breviter investigemus. Duos ego in antiquorum monumentis fontes invenio. Horum primum Theophanis ore placet aperire, ne verba verbis inutiliter agglomerantes Lectorum animos molestiâ conficiamus. *Priusquàm Philippicus imperaret*, (inquit Theophanes) *erat quidam Incluſus in Monasterio Callistrati prævisor*, (*qui scilicet astronomicis inspectionibus futura prædicere consueverat, hæreticus Monothelita*) *qui ad se venienti Philippico dixit: Imperium tibi est repositum. At ille turbatus est, & ait Incluſus: Si jubet Deus, tu quam ob rem contradicis? Hoc autem dico, quia sexta Synodus malè facta est. Si ergo imperaveris hanc projici, & Imperium fiet tibi forte atque longævum. Qui cum juramento spondet ei se facturum. Cumque regnaret, fecit pseudo-synodum*, &c. Nec his

his abſimilia ſcribit Zonaras agens de eodem Philippico. Fontem alium aperit Agatho Diaconus pluries citatus, in ſua illa perorationе, affirmans Philippicum egiſſe diſcipulum Stephani Monothelitæ. Verba igitur Agathonis ſunt hæc: *Bardanes Philippici aſſumpto nomine, &c. olim animo inſitam habuit, nedum paterna doctrina ac traditione, uti dicebat ipſe, acceptam, ſed & parva inſtitutione aſcititiam, execrabilem, omnino ſacræ huic ac œcumenicæ ſextæ Synodo contrariam hæreſim, ut qui à puero, ubi tuliſſet occaſio, diſcipulum egiſſet Stephani Abbatis, qui ipſe diſcipulus fuit Macarii.* His igitur ſemel patentibus, non eſt, cur inde miremur, ſi Tyrannus Bardanes tanto fremitu ſextam Synodum aggreſſus eſt. SCRUTIN. III.

§. 19. Hæc erat deturpata facies Orientalis Eccleſiæ regente habenas Imperii Philippico Monothelita. Optaſſet inſuper impius Orthodoxiæ proditor infallibilem Petri Cathedram erroribus implicare: ſynodicamque, uti diximus, ſacrilegam ad Conſtantinum Papam direxit, qui tamen eam Apoſtolicæ Sedis conſilio reſpuit. Quinimmo cùm ille ſanctæ ſextæ Synodi imaginem ab Im-

SCRUTIN. III. peratorio palatio obliteraſſet, Romanus Clerus in honorem ſanctorum Conciliorum picturas eorundem erexit in Eccleſiis, uti ſcribit Anaſtaſius in Conſtantino Papa, hiſce verbis: *Zelo fidei accenſus omnis cœtus Romanæ urbis imaginem quam Græci Votaream* (legunt alii codices *Pancaream*) *vocant, ſex continentem ſanctas & univerſales Synodos, in Eccleſia beati Petri erexere.*

Vigilantia & zelus Cleri Romani.

Philippicus brevi moritur.

Eadem verò Orientalis Eccleſia, quæ ſub Philippico languebat exanimis, viſa ad priſtinum vigorem rediiſſe, eodem Tyranno paulò pòſt ejecto ex Imperio. Indulſit enim ſapientiſſimus Deus piorum hominum precibus, decrevitque ut Bardanes poſt annum & menſes eo privaretur Imperio, quod barbarè invaſerat, & in pœnas invaſionis orbaretur luminibus: quo pariter ſupplicio affectum eſſe cognovimus Monachum & Incluſum illum, qui eidem Bardani pollicitus erat Imperium; juſtiſque Dei legibus factum eſt, ut Incluſus ille, qui per artes illicitas futura videre præſumpſerat, orbatus oculis nec ipſa præſentia poſſet intueri.

Succeſſit igitur Philippico Monothe-

litæ Anastasius Catholicus & sextæ Synodi propugnator eximius, statimque ab Imperii inauguratione sacram detulit Constantino Papæ, qua se verum Orthodoxum patefecit. quod ipsum Anastasius Bibliothecarius sic in Constantino reponit: *Post aliquod tempus Scholasticus, Cubicularius Patritius, ac Exarchus Italiæ, veniens Romam detulit secum sacram Anastasii Principis, per quam verè se orthodoxæ fidei prædicatorem, & sancti sexti Concilii confessorem esse omnibus declaravit.* Joannes etiam Patriarcha Constantinopolitanus epistolam dedit eidem Constantino, excusans pro iis, quæ sub Tyranno Bardane adversus sanctam & œcumenicam sextam Synodum agitata sunt, ut ipse titulus epistolæ præfert: in qua totus incumbit Joannes ad excusandam silendi œconomiam, qua fuerat usus imperante Philippico, ut scilicet voces duplicis voluntatis & operationis, ob utilitatem Ecclesiæ, silentio consignarentur; nulla interim indubitatione de vocum earundem veritate. Unde Joannes hic, qui Monothelitarum antesignanus à Cardinali Baronio appellatur, non in alium

SCRUTIN. III.

Anastasius Catholicus scribit ad Constantinum.

Joannes etiam dat epistolam Constantino.

Qua de causa Joannes sapiat Monothelitam.

SCRUTIN. III.

lapidem visus est offendisse, nisi & in quem offenderat Honorius: hoc solùm inter utrosque habito discrimine, quòd Honoriana silendi dispensatio præcesserat definitioni sanctæ sextæ œcumenicæ Synodi; cui tamen subsequens fuit Joannis œconomia, in hoc quidem Honorianâ culpabilior, licèt interim utraque culpabilis, ut aperietur infrà Scrutinio septimo.

Monotheliſmus post sextam Synodū viguit apud Chaldæos.

§. 20. An verò sub Anastasio Principe ubique terrarum Monotheliſmus fuerit extinctus, non ita facilè concesserim: compertum quippe est ex epistola Eliæ Patriarchæ Babylonis Chaldæorum ad S. N. D. Paulum Papam V. quæ habetur in disputatione Petri Strozzæ *De dogmatibus Chaldæorum*, inter errores eorundem reponi peculiarem illum Monotheliſmum, quo defenditur in Christo cum duplici natura voluntas una, unaque operatio. Commemorans enim in illa epistola variationes, quæ occurrunt inter Ecclesias Romanam & Chaldæam, secundo loco ponit: *Dominus Papa cum omnibus Patribus magnæ Ecclesiæ Romæ duas naturas Christi confitentur, duas virtutes, & duas voluntates.*

Nos autem fatemur unam virtutem & unam voluntatem. Et quamvis Monotheliſmum ad ſenſum Orthodoxorum trahere conaretur, cùm in Oriente degeret Adam Archimandrita Monachorum Chaldæorum, & Legatus ejuſdem Eliæ Patriarchæ ad Paulum V. exiſtimans ſolum eſſe diſcrimen inter utramque Eccleſiam in modo loquendi, inquiens inter alia cap. 4. cujuſdam ſui ſermonis de fide, qui pariter habetur apud eundem Strozzam: *Orientales unam voluntatem in Chriſto fatentur: non eo quòd alteram voluntatem conculcent, ſic dicunt; ſed ne ſit confuſio in una filiatione unita Chriſto, dicendo voluntatem & voluntatem, humanam & divinam. Dicunt enim unam voluntatem: ſcilicet voluntas voluntatem ſecuta eſt; nimirum conjuncta eſt una voluntas cum alia, & duæ voluntates unum quid ſimul ſunt.* Tamen non eſt dubium, quin hæc ad unguem conveniant cum iis; quæ Sergius, aliique Monotheliræ tradiderunt. Hunc autem errorem unà cum aliis ejuſdem Chaldæorum Eccleſiæ confeſſus eſt Romæ, & deteſtatus idem Adam coram Magiſtro Commiſſario Officii ſanctæ Inquiſitionis,

SCRUTIN. III.

Chaldæi tempore Pauli quinti abjurant Romæ Monotheliſmum.

SCRUTIN. III. posteaquam trium annorum spatio fuerat ibi commoratus, ut affirmat idem sanctissimus Paulus V. in rescripta epistola ad Eliam Patriarcham Chaldæorum. Unde ad meliorem fidei statum reversus Adam, fassus est veritates Catholicas nomine totius suæ Ecclesiæ in serm. de fide Catholica ad fratres suos Chaldæos, ubi cap. 6. *Dicimus*, inquit, *in Verbo esse duas voluntates, divinam scilicet, quæ est communis aliis Personis divinis; & humanam, quam propriè habebat, &c. Et quemadmodum habet duas voluntates, sic & duas operationes, quia ea quæ habent unam operationem, necessariò & unam naturam. Ex duabus enim naturis dissimilibus non potest procedere una operatio.* An autem in hac eadem recta sentiendi fide de dispensatione Incarnationis, quam professus est Adam Chaldæorum Archimandrita, maneant adhuc Chaldæi; esse mihi fateor penitus ignotum.

Viguit etiam Monotheliſmus apud Armenios post sextam Synodum.

§. 21. SIMILITER si ad Armeniorum Ecclesiam oculos convertamus, eandem intuebimur Monotheliſmo fœdatam longo post tempore à sanctæ sextæ Synodi celebratione. Namque Isaac Armeniæ Catholicus, qui floruit sæculo XI.

invectivâ ſecundâ in Armenios eorum errores enumeraturus, primo loco hunc ponit: *Dei Filium confitentur unam naturam, & unam voluntatem, unamque habere operationem; quæ eſt doctrina Sergii, Pyrrhi & Pauli, quos ſancta ſexta Synodus Conſtantinopoli celebrata centum ſeptuaginta à Deo afflatorum Patrum, imperante Conſtantino, devovit.* Rurſus paulò poſt ſextæ Synodi celebrationem *Ioannes Oznienſis pſeudo-Patriarcha Armeniæ* (uti ſcribit Pater Clemens Galanus in conciliatione Eccleſiæ Armenæ cum Romana cap. 17.) *prædatorum coëgit Conciliabulum in urbe Manaſchierti, ubi cum Aſſyriis Epiſcopis conjurare faciens in propriam perniciem Armenios, Monotheli-tarum hæreſim in ſuam nationem invexit.* Quod ipſe deducit ex Armeniorum hiſtoria, ubi ſic: *Domnus Ioannes Oznienſis è Provincia Daſurana annos 11. Hic juſſu Homari Saracenorum Ducis, & auxilio Galiphæ Babylonis, Synodum congregavit in Urbe Manaſchierti in confinibus Hircanæ Provinciæ, ubi convenientibus cum Armenis ſex Aſſyriis Epiſcopis definita fuit in Chriſto una natura, una voluntas, & una operatio.* Verùm cùm iſtud Conci-

SCRUTIN. III.

Conciliabulum Armenum pro Monotheliſmo.

De tempore celebrati Conciliabuli Armeni.

SCRUTIN. III. fabulum factum fuisse dicatur jussu Homari Saracenorum Ducis, valde suspicor non habitum fuisse post sextam Synodum, ut arbitratur P. Galanus, sed temporibus Heraclii Imperatoris, & Sophronii Hierosolymitani: cùm ex historia Theophanis, Cedreni & Zonaræ liqueat apertè, Homarum Saracenorum Ducem invasisse Palæstinam, aliasque Provincias Imperatori subjectas, nondum è vivis erepto eodem Heraclio. In quod eò promptiùs inclinò, quòd certior sum ex celebri narratione de rebus Armeniæ, quam ex anonymo Græco transtulit in Latinum P. Combefis, temporibus Heraclii insurrexisse in Armenia Joannem quendam, qui Patriarchatum omni arte affectabat, & bella non tantùm in fidem, sed in Armeniæ Catholicos Esdram, Christophorum, & Norsesem commovebat: quem Joannem opinor illum fuisse, qui jussu Homari Armenios in hæresim sollicitavit. Utut de tempore sit, (video enim hæc omnia, multiplicatis Homaris, eludi posse) certè pseudo-synodus habita fuit, & Monotheliſmus in Armeniam synodicè introductus.

Præterea cum de unione ageretur inter Græcos & Armenios anno Christi 1077. & Concilium Tarsense celebraretur in Armenia, inter reliquas propositiones, quas Græci ab Armeniis credendas proposuerunt, fuit illa: *Christum habere duas operationes naturales, divinam scilicet & humanam, non ad invicem contrarias, sed humanam divinæ subjectam & concordem.* Cui quidem Græcorum petitioni responderunt Armenii: *Hinc quoque potentes efficimur ad discendum vestram duplicis voluntatis atque operationis professionem in unum Christum Deum referendam; nec respuimus, sed approbamus.* Eandem ipsam veritatem fassi sunt Armenii ad eversionem Monotheliſmi adhuc ibi vigentis, in duobus aliis Conciliis, ut videre poteris apud eundem Patrem Galanum, videlicet in Concilio Sisensi, jussu Gregorii Patriarchæ & Leonis Armeniæ Regis celebrato ad ann. 1307. & in Synodo Adanensi sub Oscino, Leonis successore, & Constantino Armeniorum Patriarcha, anno sequenti, scilicet 1308. convocata: quibus in Conciliis inter reliquas hæreses eversus est Monotheliſmus.

SCRUTIN. III.

Armenii pluries abjurant Monotheliſmum.

SCRUTIN. III.

Maronitæ olim conspersi Monotheliſmo.

§. 22. Ipſa quoque Maronitarum Eccleſia viſa eſt aliquando in Monotheliſmum offendiſſe : nam ſi fidem habeamus Timotheo Preſbytero Conſtantinopolitano in opuſculo de iis, qui accedunt ad ſanctam Eccleſiam, à Maronitis, rejecta fuit olim ſancta ſexta Synodus, licèt nunc in obedientia Romani Pontificis, ac in unitate fidei orthodoxæ conſtanter permaneant. Verba verò Timothei hæc ſunt : *Maronitæ, qui 4. & 5. ac 6. Synodum rejiciunt, addunt-que hymno Ter ſanctus, crucifixionem, ac unam voluntatem unamque operationem in Chriſto docent.* Fateri tamen juvat, errorem Armeniorum & Maronitarum fuiſſe potiùs Eutychianiſmum, quàm ſtrictum Monotheliſmum. Riſu nihilominus dignum eſt, arbitrari, poſſe aliquem in Monotheliſmum offendere, & ſimul Eutychianiſmum evitare. Unde non abs re Monothelitica peſtis ab antiquis auctoribus appellatur hæreſis *Eutychianorum*, ut à Beda in lib. de ſex mundi ætatibus, aliquando *Acephalorum*, ut ab Hermanno Contracto in ſuo Chronico ; aliquando *Appollinariſtarum*, ut à Synodo Toletana XIV. can. 2. cùm hæc hæreſis Mono-

thelitarum ab his omnibus pullulaſſet, eaſdemque in ſeipſa comprehenderet. SCRUTIN. III.

Tribus hiſce Scrutiniis abſolvimus, opinor, hiſtoriam hæreſis Monothelitarum. Fieri verò non potuit, ut preſſiùs evolveretur, cùm acta pæne innumera tum Monothelitarum, tum Catholicorum fuerint enarranda. Accedamus jam ad examinandum, quænam eſſet tanta hæc hæreſis, ob quam tot tragœdias deploravit Orbis Orthodoxus. *Abſolvitur hiſtoria Monothelitarũ.*

SCRUTINIUM IV.

In quo enucleatur formalis hæreſis Monothelitarum.

SUMMA SCRUTINII.

§. 1. *Satis eſt difficile, Monothelitarum ſenſum tenere, ob eorundem inconſtantiam.*

§. 2. *Inquiritur quid ipſi intelligerent nomine voluntatis.*

§. 3. *Aperitur inde triplex ſenſus Monothelitarum; ac primò illorum, qui commiſcebant voluntates & operationes.*

SCRUTIN. IV.

§. 4. *Secundò, illorum qui omnem prorsus voluntatem humanam stolidè negabant.*

§. 5. *Tertiò, aliorum qui constituebant naturam humanam in Christo, ut merum organum Divinitatis.*

§. 6. *Adducitur post hæc duplex fundamentum Monothelitarum. Primum quidem, quia Christus operans unus est.*

§. 7. *Secundum, quia si duæ in Christo essent voluntates, se invicem oppugnarent.*

§. 8. *Indicatur etiam error aliorum Monothelitarum, qui omnem à Christo excluserunt voluntatem.*

§. 9. *Necnon error aliorum, qui triplicem in Christo posuerunt cum voluntatibus operationem.*

§. 10. *Concluditur demum, Monothelitas non pauca orthodoxa miscuisse in suis scriptis, ut hac arte facilius veritatem implicarent.*

Quinam sit communis sensus circa hæresim Monothelitarum.

§. 1. NIL est, ut opinor, familiarius penes omnes Theologos ac Historicos, quàm illum esse Monothelitarum errorem, ut unam tan-

tùm in Christo ponerent hi voluntatem & operationem, sicuti ex ipso nomine Monothelitarum apertè deducitur. Apposita sanè & æquè vera conceptio. Si tamen hoc ipsum evolvere velimus intimiùs, sua non caret arduitate, eo præsertim quòd eadem hæc provincia visa est difficilis insignioribus Theologis, Cajetano præsertim & Vasquio. Nec equidem miror, bene conscius ex sancto Agathone in sua epistola, Monothelitas omnes obscuris adeo, necnon ambiguis verborum involucris suam hæresim occultasse, ut & orthodoxa cum falsis & hæreticis commiscentes, quæstionem hanc ita obnubilarint, ut Catholicis vix possit apparere, quid ipsi sentirent. Quin immo sanctus Maximus in Dialogo cum Pyrrho Monothelitarum inconstantiam sub persona Sergii perstringens, ita Pyrrhum alloquitur: *Nihil me à tuo antecessore* (Sergio scilicet) *alienavit, ut mutabilitas ejus & inconstantia, id est, in alias alio tempore transire sententias, & in nullo sensu permanere.* Quamvis autem satis arduum sit errorum sensus & fraudes aperire, nihilominus quæ mihi probabiliora videbun-

SCRUTINI IV.

Monothelitarum inconstantia in serendis suis hæresibus.

SCRUTIN. IV.

tur, Deo favente, reponam, certaquè sejungam ab incertis.

Quid intelligerent Monothelitæ nomine voluntatis.

§. 2. IN vacuum tamen laborabimus, nisi priùs nobis constiterit, quid intelligerent Monothelitæ nomine *voluntatis*: id circo erit hoc maturiùs explicandum. Et quidem non eos semper intellexisse facultatem, sive potentiam, sive appetitum rationabiliter volendi, quæ propriè & antonomasticè dicitur *voluntas*, non pauca mihi persuadent. Certum quippe est, celebriores Monothelitas non excluisse à Christi humanitate animam rationalem, quemadmodum excluserat Apollinaris, & ex hoc Lucius Alexandrinus Apollinarista, per verba relata in Conc. Later. secret. 4. *Quomodo*, inquit ibi, *unus est Christus, nisi una persona, una composita natura, sicuti hominis, qui ex corpore & anima extat, cognoscimus? Si autem & animam habuit, oppugnant se motus Dei & animæ, quoniam removet horum utrumque, & in diversas operationes dividitur.* Monothelitæ verò nihil unquam hujusmodi commenti sunt; quin immo Christum esse non tantùm perfectum Deum, sed etiam perfectum hominem, quandoque palam profitebantur,

tur. Per ſummam igitur impudentiam & incredibilem inſcitiam ponentes animam in Chriſto, ab eadem excluſiſſent potentiam volitivam, quæ proprietas eſt & paſſio vel divinitus inſeparabilis ab anima, ut teſtes ſunt cum Philoſophis Theologi. Quam craſſam ſtoliditatem deglutiiſſe Monothelitas omnes, non eſt ullo pacto mihi credibile, licèt de quibuſdam illorum pertinacioribus non id renuam concedere, ut apparebit §. 4. & 8. hujuſcemet Scrutinii. SCRUTIN. I.V.

Rurſus, non ita Monothelitæ conſtituebant humanitatem Chriſti, vt ea veluti truncus emortuus; ſterilis eſſet, & omnino infœcunda: ſed potiùs eam prædicabant *cooperariam, adjutricem & dantem executioni, quæ ſibi per Divinitatem præcipiebantur.* Unde Theodorus Pharanitanus in libro ſuper explicandis teſtimoniis Patrum, cujus fragmenta citantur in Conc. Later. ſecret. 3. hæc habet: *Si qua ſpectantia ad ſalutarem diſpenſationem, ſeu divina, ſive humana, de Salvatore noſtro* JESU CHRISTO *deſcripta ſunt, principaliter quidem, atque, ut ſic dicam, primordialiter ex Divinitate auſpicationem, cauſamque accipiebant; mediante verò intel-* *Monothelitæ ponunt humanitatem Chriſti cooperativam Divinitati.*

SCRUTIN. IV. *lectuali ac rationali anima per corpus gerebantur.* Quod ipsum pariter profitetur Macarius Antiochenus adhuc Theodoro manifestiùs in sexta Synodo act. 11. *Quam ob rem, & ad singula, quæ fiebant, uti cooperariam quandam ac adjutricem, præsertim autem ad hoc, sanctam carnem suam assumere nitebatur, ut ostenderet vivificare valentem.* Non igitur dubium, quin aliqui Monothelitæ in humanitate Christi admiserint potentias intelligendi & volendi, quibus *cooperari, adjuvare & exequi posset*, quæ sibi per Divinitatem præcipiebantur.

Monothelitæ ponunt in animâ Christi potentiam volitivam.

Aliud igitur visi sunt intellexisse Monothelitæ nomine *voluntatis*, dum unam in Christo prædicabant voluntatem. Ne tamen in hoc immoremur diutiùs, audiamus Theodosium Episcopum Cæsareæ, & ipsum ac rem Monothelitam, in collatione cum sancto Maximo, quàm apertè profiteatur in Christo duas potentias volitivas: quod unicè in præsenti contendimus. Cùm enim sanctus Maximus asseruisset, quòd *quemadmodum duas naturas Christum, ex quibus est, ita & naturales ejus voluntates & operationes convenientes sibi, cùm sit naturâ Deus*

Deus, idem ipse simul ac homo, credere jussi sumus & confiteri. Respondit immediatè Theodosius: *Verè, Domine, & nos confitemur & naturas & operationes diversas, id est, divinam & humanam, atque ipsius cum voluntate Deitatem, sed & cum voluntate humanitatem; quoniam sine voluntate nullatenus erat anima ejus.* Vides ex his, quòd Monothelitæ non tantùm in Christo ponebant animam, sed & in anima prædicabant voluntatem, quemadmodum etiam præter Theodosium affirmat apertè Epiphanius Patritius, Monothelitico imbutus veneno, in collatione sancti Maximi cum eodem Theodosio, ubi verbis hisce Maximum compellat: *Verè plusquam tu Christiani sumus atque Orthodoxi, & Dominum nostrum ac Deum confitemur habere & divinam voluntatem, & humanam voluntatem, & animam intellectualem; & quia omnis intellectualis natura utique habet ex natura velle & operari, &c. quin & duas ipsius voluntates & operationes non abnegamus.* Nil, opinor, efficacius; ut assensum præbeamus, Monothelitas haud rarò nomine unius voluntatis longè aliud intellexisse à potentia, sive ap-

SCRUTIN. IV.

Quid ergo intelligebant Monothelitæ nomine voluntatis.

SCRUTIN. IV. petitu ipso volendi. Fateri tamen juvat ingenuè, eos aliquando nomine unius voluntatis hoc ipsum intellexisse : aliquando verò objectum ipsum voluntatem appellabant ; quandoque etiam affectum animæ seu inclinationem ad carnalia, quam Apostolus appellat *legem membrorum*, eodem titulo voluntatis insignibant ; quandoque demum conformitatem in volendo voluntatis unitatem nuncupabant, ut in Opusculi decursu indicabimus. Hæc autem omnia, alioquin tolerabilia, à Monothelitis ideo fiebant, ut æquivocationum fluctibus agitata veritas pateretur naufragium.

Primus sensus hæresis Monotheliticæ.

§. 3. TRIPLICI ergo principaliori sensu arbitror Monothelitas unam tantùm in Christo prædicasse voluntatem. Primus eruitur ex visceribus Eutychianismi, cui plurimùm adhærebat Monotheliſmus, utpote qui exordia duceret ab illo. Eutyches & socii, ut luce meridiana clarius est, solùm unam in Christo posuêre naturam, & consequenter unam etiam professi sunt naturæ voluntatem & operationem. Nec erit ineptum, si ad hoc ipsum proban-

dum, unam aut alteram eorundem au- SCRUTIN.
ctoritatem proferamus. Primus erit An- IV.
thimus Eutychianus in sermone ad Justinianum relato in sexta Synodo act. 11. sic arguens : *Si ergo una est subsistentia & una natura Dei Verbi incarnata, sicut est, procul dubio & una voluntas, & una revera operatio, unaque sapientia & una scientia utriusque est.* Quibus in verbis ex unitate naturæ unam etiam infert consequenter voluntatem & operationem. Anthimo socium addiderim Julianum Episcopum Halicarnassensem hæc aientem in secret. 5. Conc. Later. *Si quis post ineffabilem & incircumscriptam unitionem ausus fuerit dicere duas naturas, aut duas subsistentias, aut duas operationes, utpote duas personas dicens & duas subsistentias, anathematizetur.*

Cùm autem Eutyches (juxta ea, quæ Flavianus Constantinopolitanus scribit ad Leonem Papam in epist. 2. quæ habetur tom. 1. Conciliorum post epistolam sextam sancti Leonis) ultro fateretur *ante inhumanationem Salvatoris nostri* JESU CHRISTI *duas naturas esse, divinitatis & humanitatis*; solumque adderet, *duplicem illam naturam post unitio-* *Hæresis Eutychetis favet Monothelitis.*

SCRUTIN. IV.

nem factam esse unam. Hac de causa Eutichiani dissentiebant invicem : quidam enim ex illis cum Severo in secunda epistola ad OEcumenium , cujus fragmenta citat sexta Synodus act. 10. unam hanc naturam ponebant *divinam* , scilicet per transmutationem , sive *transelementationem* , humanæ in divinam ; reliqui verò Eutychiani ex duplici illa natura , divina scilicet & humana , unam quandam tertiam conficiebant , per confusionem , sive commixtionem utramque , ut Pater Vasquez , aliique Theologi ex eorum scriptis eruunt eruditè. Visi sunt ergo Monothelitæ confundere voluntates in Christo & operationes ad eum modum , quo Eutychiani naturas commiscebant : & quemadmodum hi ex duabus naturis , divina scilicet & humana , unam conflabant ; ita quandoque Monothelitæ ex duabus voluntatibus & operationibus unam quandam tertiam commenti sunt. *Quænam enim natura* , (ut arguit Macarius Monothelita act. 11. sextæ Synodi) *etiam in his , quæ omnimodè sejuncta sunt , postquam cum aliqua quadam operatur natura , unam non perficit operationem?*

Errorem istum Eutychiano-Monotheliticum sanctus Hyppolitus Episcopus Portus Romani agnovit optimè, & arguit eruditè piéque adversus Beronem quendam in serm. 5. ut habetur inter Collectanea Anastasii, ubi hæreticus ille ex ficta commixtione naturarum in Christo commixtas fuisse voluntates & operationes delirabat. Hyppoliti verba sunt hæc : *Bero quidam nuper, & alii quidam, Valentini phantasiâ desertâ, deteriori irretiti sunt pravitate, dicentes assumptam à Verbo carnem fuisse eadem quæ Divinitas operata est, operatam. Divinitatem verò compassibilem carni propter exinanitionem, convertibilitatem simul & commixtionem, seu confusionem, atque utriusque in invicem mutationem dogmatizantes, &c.* Eidem pariter errori existimem ego fuisse adstipulatum Pyrrhum in Dialogo cum sancto Maximo, his verbis: *Fieri potest, ut sicut ex duabus naturis unum aliquod compositum dicimus, sic ex duabus voluntatibus naturalibus unam aliquam compositam dicamus.* Quin & ad hoc ipsum prudenter respexit sanctus Maximus in collatione cum Theodosio Episcopo Cæsareæ. Cùm enim hic in-

SCRUTIN. IV.

Quinam Monothelitæ in Eutychianismum inciderint.

SCRUTIN. IV. terrogasset Maximum : *Non dicis per quemcunque modum unam voluntatem & operationem in Christo ?* respondit Maximus ? *Non mihi possibile est hoc aliquando dicere, & dico causam, &c. Primò, quoniam si dixero naturalem, timeo commixtionem.* Adhuc tamen id ipsum clariùs aperitur per eundem Maximum in epistola ad Anastasium Monachum. Narrat ibi collationem habitam cum Patriarcha & Judicibus. Cumque hi faterentur *duas operationes ob diversitatem, & unam propter unitionem ;* dixit Maximus : *Duas propter unitionem asseritis factas, an præter has aliam ? Non, inquiunt ; sed duas unam propter unitionem.* En his verbis expressam operationum confusionem & commixtionem, quam sic Maximus redarguit : *Caruimus rebus, nobis ipsis sine substistentia fidem, & sine existentia Deum fingentes. Si enim in unam confundimus duas propter unitionem, & rursus in duas separamus unam propter differentiam ; non erit unalitas, neque dualitas operationibus.* Quo pariter arguendi genere in eosdem Monothelitas ante Maximum usus fuerat Joannes quartus Pontifex in epistola ad Constantinum,

ubi sic in illos invehitur : *Iam verò si ex utraque natura unam voluntatem esse dixerint, non solùm naturales voluntates, sed etiam naturas confundent.* SCRUTIN. IV.

§. 4. ALTER Monothelitarum sensus illorum omnium fuit, qui more Manichæorum duas solummodo voluntates somniantes, divinam unam, alteram diabolicam; unam solùm in Christo voluntatem, scilicet divinam, effutiebant: in quem errorem, licèt satis pinguem & pæne incredibilem, visi sunt impingere posteriores Monothelitæ, præsertim verò Stephanus Monachus Macarii discipulus, qui non solùm à Christo Domino naturalem excluſit voluntatem, verùm etiam expunxit eandem ab hominum primævo parente Adamo. Interrogatus quippe act. 8. sextæ Synodi, num Adam ante peccatum naturali voluntate præditus fuerit? respondit, *habuisse quidem arbitralem & liberam: etenim ante prævaricationem divinam habuit voluntatem, & convoluntarius erat Deo.* Quæ quidem propositio, licèt in ore Catholicorum congruè posset explicari de conformitate voluntatum, quemadmodum sanctus Maximus in

Alter sensus Monothelitarum manicheizantium.

SCRUTIN. I. V. Dialogo cum Pyrrho expoſuit non abſimiles ſanctorum Patrum locutiones; in ore tamen Monothelitarum non eam ita acceperunt, eadem act. 8. Legati Sedis Apoſtolicæ: quinimmo intulerunt ex illa adverſus Stephanum, quòd ſi Adam fuiſſet convoluntarius Deo, extitiſſet etiam coeſſentialis eidem. Utut autem res hæc de Stephano ſe habeat, negari certè non poteſt Monothelitas aliquos manichæizaſſe, & duas tantùm in univerſo conſtituiſſe voluntates, divinam unam, alteram diabolicam. Quod apertè tradit ſanctus Joannes Damaſcenus in libro de duabus voluntatibus, ubi ex ſenſu Monothelitarum ait: *Verùm, inquiunt, non habet homo naturalem voluntatem: aiunt enim duas eſſe ſolùm voluntates, bonam unam, divinam; alteram diaboli, malam; cumque homo id vult quod bonum eſt, Dei tunc habere voluntatem; cùm autem malum, voluntatem diabolicam.* Atque iterum paulò pòſt ex eorundem ſenſu repetit: *Reſpondent, non habere hominem voluntatem naturalem: dicunt enim Manichæorum errore duas tantùm eſſe voluntates, unam quidem divinam, quæ eſt bona; alteram verò diabolicam, quæ eſt*

mala, *&c.* Unde cùm in Christo voluntas semper bona fuerit, inferebant, solam in eo fuisse voluntatem divinam, non autem malam, seu diabolicam. O stolidam Monothelitarum Theologiam! SCRUTIN. IV.

§. 5. TERTIUS demum eorumdem sensus, iisdemque cæteris familiarior, & minùs ineptus est, ut à Christi humanitate omnem prorsus motum sive affectum liberum excluderent, eandemque solùm agnoscerent ut merum organum & instrumentum Divinitatis sibi unitæ in omnibus operibus tum divinis, tum humanis. Quo posito, non omnino stolidè prædicabant in Christo unam voluntatem & operationem, cùm *instrumentum* (ita arguit Apollinaris citatus in sexta Synodo act. 11.) *& illud quod hoc movet, unam naturaliter perficiant operationem.* Id autem sensisse Monothelitas docuit sanctus Thomas 3. part. quæst. 18. art. 1. *Posuerunt*, inquiens, *in Christo unam voluntatem, quamvis ponerent duas naturas secundùm hypostasim unitas: quia opinabantur, quòd humana natura numquam movebatur proprio motu, sed solùm secundùm quod erat mota à Divi-* *Tertius modus explicandi Monotheismum.*

SCRUTIN. IV.

nitate, vt patet ex epistola synodica Agathonis. Juvat tamen hoc ipsum eruere ex ipsis Monothelitarum fontibus.

Quinam animæ Christi negarint omnem suũ motum.

Audiamus ergo ante reliquos omnes Sergium in epistola ad Honorium. Hoc in loco fatetur apertè, Domini nostri carnem nunquam ex proprio affectu fuisse operatam; licèt ibidem more solito multa confundat, nec pauciora supponat, quæ satius fuisset clariùs distinguere, & probare validiùs. *Nam*, inquit, *salutaris Deum gerentium Patrum doctrina operæpretium instruit, quòd nunquam intellectualiter animata Domini caro separatim & ex appetitu proprio contrario nutui uniti sibi secundùm subsistentiam Dei Verbi naturalem motum suum effecit; sed quando, & qualem, & quantam ipse Deus Verbum volebat.* Eadem ferme totidem verbis, nec minori vafritie, Macarius inculcat in sexta Synodo act. 8. per hæc verba: *Salutaris à Deo instructorum Patrum doctrina manifestè instruit, quia nunquam intellectualiter animata Domini caro divisè atque ex proprio appetitu unita contra nutum sibi subsistentialiter Dei Verbi naturalem sui feciſſet motionem; sed quando, & quantam, &*

qualem idem Verbum volebat. His autem in verbis dolus ingens occultatur & fraus: & quamvis conventio nulla sit lucis ad tenebras, attamen vera & Catholica cum falsis & hæreticis conati sunt Sergius & Macarius prædicto in loco commiscere. Catholicum namque est, *animatam Domini carnem numquam operatam esse divisam & separatam à Divinitate;* hæreticum verò, *numquam ex proprio affectu & appetitu fuisse operatam.* Rursus orthodoxum est, *animam Christi motum effeciſſe, quando, qualem, & quantum ipse Deus Verbum volebat*; non minus autem à fide devium est, *eandem animam nunquam naturalem suum motum effeciſſe*: quæ tamen ineptissimè commiscuerunt hæretici Sergius & Macarius. SCRUTIN. IV.

Verùm ut universus Oriens venenum de una Christi voluntate ebiberet hilariùs, viri subdoli nuper citati Catholicis utebantur exemplis, ac eo præsertim, quo magnus utitur Athanasius in Symbolo ad exponendam intimè Incarnationis dispensationem: *Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Ex hoc, *Monothelitæ utuntur exemplis Catholicis.*

SCRUTIN. IV.

inquam, exemplo nactus opportunitatem illaqueandi simplices, sic arguit Sergius in epist. ad Honorium: *Quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, & disponitur ab intellectuali & rationali anima nostra; ita & in Domino Christo tota humana ejus conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, Deimobilis erat, secundùm Nyssenum Gregorium.* Sergium sequitur Macarius, illo fortè pejor, nisi ambo pessimi, nec absimili modo philosophatur in sexta Synodo act. 8. *Quemadmodum nostrum corpus regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima nostra; ita & in Domino Christo tota hominis ejus conspersio ab ejusdem Verbi Divinitate semper & in omnibus mota Deo mobilis fuit.* Ex quo exemplo deducebant ineptè, quòd sicut in homine una est naturalis voluntas, unaque voluntatis operatio; ita & in Christo una debeat poni voluntas, unaque pariter operatio voluntatis.

Monotheliſmus Theodori Pharanitani.

Nemo tamen sensum hunc Monotheliticum professus est apertiùs Theodoro Episcopo Pharanitano. Hic enim, ut ex ipsius fragmentis colligitur Conc. Later. secret. 3. pluries edocuit, humanitatem

Christi ita in omnibus operibus esse *organum* & Divinitatis *instrumentum*, ut efficere non valeat operationem aliam ab operatione Divinitatis. *Omnia*, inquit, *quæ salutiferæ dispensationis sunt, sive divina, sive humana, de Salvatore nostro Christo dicuntur: initium quidem à Divinitate, utpote exordium accipiebant; mediante autem intellectuali ac rationali anima ministrabantur à corpore.* Et rursus adhuc clariùs: *Oportet ita sapere & dicere nos, omnia quæ in Incarnatione Christi dicuntur, unam operationem esse; hujus autem opificem & creatorem Deum Verbum, organum verò humanitatem.* Manifestissimè verò in sermone ad Sergium Arsenoitam, ubi sic: *Siquidem primordialiter propter divinam quandam sapientissimamque dispensationem, somnum, fatigationem, esuriemque & sitim admisit, utique quando voluit; jure etiam optimo horum omnium motum quietemque omnipotenti illi ac sapientissimæ applicamus operationi Verbi, & ex hoc unam unius ejusdemque Christi operationem appellamus.* Videas quàm clarè Theodorus operationem omnem & humanitatis affectum refundat in Divinitatem tanquam in

SCRUTIN. IV.

agens primordiale, seu quod Philosophi vocant, ut quod, cujus organum & instrumentum esset humanitas, nec proinde potens constituere operationem aliam ab operatione causæ principalis. Quia tamen in hoc pervium est Orthodoxiam cum Monotheliſmo confundere, idcirco opus est inspicere, quæ dicturi sumus inferiùs Scrutinio sequenti, ubi Catholicus sensus ab hæretico pluribus discernitur.

Primum fundamentum Monothelitarum.

§. 6. LICET autem in explicando Monotheliſmo degladiarentur invicem Monothelitæ, in assignandis tamen rationibus & fundamentis vox omnium eadem erat: existimantes unanimiter, unam ideo ponendam esse in Christo voluntatem & operationem, quia Christus operans unus est; perinde ac idem esset duas asserere voluntates, ac duos introducere volentes: qua de causa *unam Christum, sicut unius, voluntatem & operationem personalem habere contendebant*. Quæ sunt verba Papæ Agathonis in sua synodica ad Constantinum. Audiamus Sergium in epist. ad Cyrum secret. 3. Conc. Later. clarè docentem, *eundem Christum operari Deo*

decibilia & humana una operatione, quia omnis divina & humana operatio ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedebat. Sergium Monothelitarum anteſignanum ſecutus eſt Pyrrhus, & Patriarchatus & hæreſis hæres, citaturque in eodem Concilo ſecret. 3. quo in loco vindicaturus Cyrum, *Quid aliud*, inquit, *niſi unam confitendam operationem, tanquam unius Chriſti, ſecundùm quamlibet rationem tradidit?* Nec ab iiſdem diſſentit Paulus in epiſt. ad Theodorum Papam adducta in Conc. Later. ſecret. 4. *Unam voluntatem Domini noſtri* JESU-CHRISTI *intelligimus, ne duos volentes introducamus.* Fateor tamen, errorem hunc ab antiquioribus hæreticis fuiſſe mutuatos recentiores Monothelitas. Quippe Themiſtius Eutychianus hunc ipſum profitetur, uti refertur in ſexta Synodo act. 10. his verbis: *Una ſcientia in Chriſto, quemadmodum & operatio; etenim & unus erat qui ſciebat, ſicut profectò & qui operabatur.* Necnon Macarius Theopolitanus ibidem, *Unam*, inquit, *perſonam Salvatoris Chriſti unius de ſancta Trinitate prædicamus, & ſicut unus eſt ipſe, unam ei voluntatem adſtruimus.*

SCRUTIN. IV. Communis ergo morbus Monothelitis erat, ex antecedenti Catholico hæreticam deducere consequentiam: putantes, ut refert sanctus Joannes Damascenus in lib. de duabus voluntatibus, voluntatem non esse naturæ, sed personæ; & juxta numerum personarum numerandas esse tum voluntates, tum operationes.

Alter Achilles Monotheliſmi.

§. 7. NEC minori consensu in aliam foveam, hoc est, errorem, cæco pede prolapsi sunt, existimantes minimè posse duas in Christo admitti voluntates & operationes, quin illæ opponerentur invicem: unde ut ab eodem geminas excluderent, ubique contrarietatem earundem supponebant, cujus probationem verebantur aggredi, certi nimirum de eventus impossibilitate. Polemon inter antiquos Monothelitas, discipulus Apollinaris, hoc apertè fassus est, ut affertur in Conc. Later. secret. 5. *Qui duas voluntates dicit Christi secundùm eos, qui dudum & nunc inflantur, duos quosdam introducunt Christos, sibi invicem non solùm naturâ, sed & odiositate divisos; aut se sibi oppugnantem docent: ubi enim est dualitas, divisio est per omnia.* Consonat

nat etiam Polemoni Themistius in sexta Synodo act. 11. *Neque* (inquit ibi) *idcirco quòd sacer Athanasius duas voluntates ait Christum ostendisse in tempore passionis, etiam duas voluntates ei circumponimus, & has repugnantes ad invicem secundùm istas suas collectiones.* Inter recentiores autem Monothelitas tradidit hoc Monothelitarum parens Sergius in epistola ad Honorium; & licèt ex aliorum mente referre videatur, verè tamen homo vafer de suo protulit. *Similiter* (verba sunt Sergii) *& duarum operationum dictio multos scandalizat, utpote à nullo Sanctorum & probabilium Ecclesiæ institutorum dicta. Insuper & consequens ei est prædicare duas voluntates, contrarietatem circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimplere passionem; humanitate verò obsistente ejus voluntati, & resistente; ac proinde duas voluntates contrarias introduci, quod impium est.* Sergium à veritate devium secutus est Paulus, atque in eosdem lapides offendit. Unde in epist. ad Theodorum in Conc. Later. secret. 4. *Unam*, inquit, *voluntatem Domini nostri* JESU CHRISTI *intelligimus, ne contrarietatem aut differentiam vo-*

SCRUTIN. IV.

SCRUTIN. IV. *luntatum uni eidemque perſonæ Domini noſtri* JESU CHRISTI *applicemus, aut ipſum ſe expugnantem dogmatizemus.* Demum, cæteris omiſſis, ne moleſtiâ Lectores afficiam, in Conc. Later. ſecret. 5. aperitur ſenſus Monothelitarum his verbis: *Auctores novitatis dixerunt: Præterea unam voluntatem diximus, ne ipſam ſibi repugnantem dogmatizemus, &c. utpote minimè poſſe habentes duas voluntates in una perſona ſubſiſtere ſibi, ſed per omnia oppugnantes ſe, atque ſibimet reſiſtentes.*

Voluntatem Chriſti prædicabant eſſe divinam.

Hanc autem unam Chriſti voluntatem Monothelitæ *divinam* prædicabant, ſeu *primordialem ac principalem*, uti appellat Cyrus in epiſt. ad Sergium act. 13. ſextæ Synodi, & Theodorus Pharanitanus in Conc. Later. ſecret. 3. Ad quod ipſum ulteriùs probandum, unum tantùm produco Macarium Theopolitanum Antiſtitem, ſeu quod idem eſt, Antiochiæ Patriarcham, non nomine modò, ſed & ſcelere celebrem, qui actione 11. ſextæ Synodi diſertè profeſſus eſt, *ſe unam Chriſti voluntatem, & hanc totam divinam, ſecundùm Doctores prædicare;* quique in eadem ſexta Synodo interrogatus à

Theophane venerabili Presbytero, & Abbate Monasterii Baias, *utrum Christus habuerit humanam voluntatem?* respondit: *Nos voluntatem humanam in Christo non dicimus, divinam verò, etiam; absque carnalibus voluntatibus, vel cogitationibus humanis, sicut prolatum testimonium sancti Athanasii continet: voluntas enim Deitatis tantùm.* Hoc ergo principium ut pote primarium inter Monothelitas supponit non rarò sanctus Maximus, præsertim in collatione cum Theodosio Episcopo Cæsareæ: eo consilio, ut illorum doctrinam faciliùs evertat, cùm ex eadem suppositione multa sequantur incommoda. SCRUTIN. IV.

Quia tamen falsitas sibi nunquam cohæret, hanc eandem Christi voluntatem, quam *divinam* prædicabant ut plurimum, quandoque nuncupabant *consultatricem*, hoc est, *humanam*, modò *subsistentialem*, seu *hypostaticam*, modò *naturalem*, aliquando *affectativam* & *auctoritativam*, aliquando verò *secundùm attributionem*, ut optimè ponderavit sanctus Maximus tum in Dialogo cum Pyrrho, tum in collatione cum Theodosio Episcopo Cæsareæ. Nec opinor creden- *Non semper tamen esse divinam docebant.*

SCRUTIN. I. V. dum esse Pyrrho asserenti in Dialogo citato, quòd *ex ignorantia in absurdas hasce sententias & argumentationes prolapsi forent:* cùm certum omnino sit, ex pravitate cordis & obstinatione voluntatis hæc eos confinxisse; de quo dubitare ineptum penitus esset.

Quidam Monothelitæ nullam posuere in Christo voluntatem.

§. 8. JUVAT hîc ulteriùs indicare, quòd licèt Monothelitarum primi in hoc incumberent enixè, ut unam solùm prædicarent in Christo Domino voluntatem & operationem; non defuere tamen ex iis, qui dæmone suadente in absurda pejora prolaberentur, & à Christo Domino voluntatem omnem cùm divinam, tum humanam excluderent. Visus est hoc expressisse in suo Typo Constans Imperator, si fidem adhibeamus actis Concilii Lateranensis, præsertim in secret. 5. ubi Martinus Papa acriter inclamans adversus eundem Typum, sic quoque in Monothelitas invehitur: *Addere peccata super peccata properaverunt, humanitatem Salvatoris atque Deitatem ejus blasphemantes & denegantes per impiissimum Typum, qui ex maligna instigatione illorum factus est contra immaculatam nostram*

Christianorum fidem à Serenissimo Principe, definientes in eodem Typo, nec unam, nec duas voluntates aut operationes, hoc est, neque divinam voluntatem, neque humanam, in ipso Salvatore nostro quempiam omnino confiteri. Hæc autem prædicaverunt, ut non solùm in humana ejus natura, sed etiam in utraque omnino eum sine voluntate & operatione, hoc est, absque natura & essentia esse denuntient. Quod ipsum pariter de Typo fatetur Anastasius Bibliothecarius in Martino: *In quo Typo*, inquiens, *omnes omnino voces sanctorum Patrum cum nefandissimorum hæreticorum dictionibus enervavit, scilicet nec unam, nec duas voluntates aut operationes in Christo Domino nostro definiens confiteri.* Cujus etiam sententiæ fuerunt reverendissimi quidam Abbates in citato Conc. Lateran. secret. 2. necnon sanctissimus Abbas Maximus, ut infrà Scrutinio septimo aperiemus: quam ob rem cùm de hoc debeat iterum redire sermo, prætermittere præstat in præsenti. SCRUTIN. IV.

§. 9. Non tamen hîc omittam, quòd Monothelitæ postremi eo tandem dementiæ prolapsi sunt, ut qui nuper nullam, vel unam ad summum, vellent *Aliqui Monothelitarum tres ponunt in Christo voluntates.*

SCRUTIN. IV. in Christo voluntatem, unam super duas, id est, tres in eodem voluntates & operationes posuerint. Unde Anastasius Romanus in epist. ad Theodorum Episcopum Gangrensem, quæ habetur inter Collectanea Anastasii Bibliothecarii: *Porro*, inquit, *hi qui unam & duas voluntates & operationes in incarnata ejus dispensatione supra novam fabulam & figmentum hujusmodi dogmatis dogmatizant, tres voluntates, & tres operationes, & totidem ex necessitate etiam naturas, id est, essentias habentem eum inducunt.* Nec his contenti, tetro eos impellente spiritu temeritatis, coëgerunt Romanos Apocrisiarios huic errori per dolos subscribere, ut affirmat Anastasius Monachus discipulus sancti Maximi in epist. ad Monachos Caralitanos, quæ reperitur inter eadem Collectanea nuper citata. *Quibus* (id est, veritatibus Catholicis) *suum corrigere nolentes sermonem*, (inquit Anastasius) *adhuc & senioris Romæ propriæ consentire sectæ coëgerunt Apocrisiarios, unam super duas, id est, tres secum prædicandi in eodem Domino nostro* JESU *voluntates & operationes.* Quin immo (ecquis crederet?) ausi sunt pro hac eadem putida

Calumnia Monotheli-tarum in sanctum Maximum.

hæresi jactare tanquam fautorem, Monothelitarum hostem acerrimum, & Orthodoxiæ vindicem vigilantissimum, sanctum Maximum, confingentes ad hoc epistolam quandam ad Marinum, in qua postrema hæc quæ retulimus Monothelitarum deliramenta, continebantur: adeo ut opportuerit sanctissimum Abbatem à calumniis se ipsum vindicare in epist. ad Monachos Siculos, ubi hæc inter alia: *Ad Marinum quidem Presbyterum variè & de diversis capitibus Scripturæ scripsimus; non tamen ullo quovis modo de contrariis dogmatibus dictum est: de una, inquam, & de duabus, id est, quas ipsi fingunt in eodem & uno Christo tres operationes vel voluntates, quasi nos has in eodem similiter ut ipsi constituamus, aut confiteamur Marino, aut ulli prorsus.* O iniquas hæreticorum fraudes! ô diabolicas Monothelitarum calumnias! Acquiesco tamen, optimè conscius, morbum esse familiarem hæreticis, erroribus addere calumnias, deque una in aliam hæresim prolabi, leviusque scelus scelere non nisi graviore devitare. SCRUTIN. IV.

§. 10. Non ibo tamen, inficias, (& hoc est intimè considerandum) Mo- *Monothelitæ cum hæreticis miscent catholica.*

SCRUTIN. IV. nothelitas omnes, ipsumque Macarium Monothelitarum pessimum, secutum artes hæreticis omnibus familiares, quamplurima non raro fidei consona in suis opusculis miscuisse, ex quibus facilè potuisset inferri gemina in Christo voluntas & operatio, ut monstrum hac arte gignerent execrabile, & faciliùs aspidem occultarent sub herba. Hinc non rarò fatebantur cum sancto Leone & Synodo Chalcedonensi, *post unitionem in Christo mansisse utrarumque naturarum differentias & proprietates*; sicut apertè liquet in Ectheſi, de qua Scrut. 2. effati sumus: quæ rursus fatebatur Christum esse non tantùm *perfectum Deum*, verùm etiam *perfectum hominem inconfusè atque indivisè*. Ex quibus principiis intulere semper Orthodoxi Patres & Concilia, duplicem in Christo mansisse voluntatem & operationem; quod tamen de voluntatibus eadem Ectheſis negabat. Nec his absimilia docuit Macarius in sua fidei confessione in sexta Synodo act. 8. *Numquam enim*, ait ibidem, *propter unitionem differentia naturarum evanescit; salvatur autem magis proprietas utriusque natu-*

& in una persona, unaque subsistentia. Quin immo in libro ad Lucam fatetur apertè cum sancto Leone, *operari utramque formam in Christo:* quod ante Macarium fassus etiam fuerat Sergius in epistola ad Honorium: quamvis, quia *quælibet illarum operabatur cum altera propter adjunctam communionem*, ut ait idem sanctus Leo, utrique violenter inferrent, tanquam ex mente sanctissimi Leonis, unam in Christo fuisse operationem. Cujus propositionis hæreticæ rationem illam afferebant veram & catholicam, qua utitur cum sanctis Patribus Honorius in sua epistola ad Sergium. Interrogatus enim Macarius à Constantino Pogonato in sexta Synodo act. 8. ut fidem suam & suam ediceret sententiam, professus est se unam ideo in Christo fateri voluntatem, quia *Christus absque carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis homo factus erat in imagine novitatis.* Qua ratione, ut nuper dixi, utitur Honorius, & nos Scrutinio sequenti ponderabimus. SCRUTIN. IV.

Præterea satis etiam clarè idem Macarius edocuit in nuper citato libro ad Lucam Presbyterum, cujus aliqua fra-

SCRUTIN. I. V.

gmenta afferuntur in sexta Synodo act. 11. *sanctam Christi carnem ad singula quæ fiebant, cooperariam & Divinitatis adjutricem fuisse:* licèt fateri nullatenus velent Monothelitæ ob inanes aliquas ratiunculas, humanitatem Christi *operari*, sed tantummodo *pati*. Quod fusiùs conatur ostendere Pyrrhus in Dialogo cum sancto Maximo, rapiens ad hoc ipsum quasdam Patrum sententias, qui operationem humanitatis *passionem* appellare consueverunt: inquiens inter alia: *Non dicimus unam operationem, ad tollendam humanam operationem; sed quia cùm distinguenda opponatur divinæ operationi, passio hac ratione dicitur.* In quod etiam principium maximè propendit Sergius in epist. toties citata ad Honorium: *Secundùm quod*, inquiens, *Deus erat filius, impassibilis utique erat & immortalis; si qua autem passio de eo in Evangelio dicitur, per humanitatem profectò, quæ suscipiebat passionem, hujusmodi operatus est: Operatur quidem verè Deitas per corpus quod circa ipsum est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.* Hanc autem Monothelitarum futilitatem urget efficaciter sanctus Ma-

Aiunt Monothelitæ humanitatem pati, non operari.

ximus in adducto Dialogo cum Pyrrho, ubi doctè ostendit, quo sensu operationes humanæ respectu divinarum dicantur *passiones*, & quomodo exponenda sint dicta Sanctorum, quæ Monothelitæ nimis violenter extorquebant. SCRUTIN. IV.

Monothelitæ inter se pugnant.

Non est autem mirandum, si quandoque catholica cum hæreticis ab iisdem commiscerentur, cùm toti penitus essent in implicanda veritate: qua de causa nec in omnibus invicem unanimes erant, nec sibimet ipsis cohærentes, ut passim observarunt sanctus Maximus in Dialogo cum Pyrrho, & sanctus Agatho in sua synodica. Unde licèt fatendum nobis sit, Sergium & Macarium aliquando in Christo prædicasse quascunque naturarum proprietates, eas certè negavit Theodorus Pharanitanus satis celebris inter Monothelitas: quippe in Conc. Later. secret. 3. hæc ex illo referuntur: *Absque naturalibus corporis proprietatibus ut hominem factum fuisse Dominum, & has naturales ejus proprietates à se abjicere.* Atque iterum in eodem secret. Martinus Pontifex, adductis hisce Theodori verbis: *Quoniam nostra quidem anima non est tantæ virtutis,*

SCRUTIN. IV. *ut & naturales corporis proprietates à se vel ab eo projiciat, &c. quæ omnia in dispensatione Salvatoris nostri Christi & dicta & facta in divino & vivifico corpore consistunt, &c.* Sic prosequitur doctissimus Pontifex: *Apertissimè in his verbis tam ipsum corpus Domini nostri intellectualiter animatum, quamque & naturales ejus proprietates omnino amputare dignoscitur, &c.* Præterea licèt Sergius, Macarius, aliique pauci ex Monothelitis subdolè venerarentur epistolas Leonis & definitiones Concilii Chalcedonensis; non eas tamen reliqui Monothelitæ recipiebant: easdemque negavit apertè Theodorus citatus, consequentiæ tenacior, & melior Logicus, licèt pejor Theologus, ut probarunt Legati Pontificii in sexta Synodo act. 10. secutus Severum Eutychianum Leonis epistolas & Chalcedonensem Synodum anathematizantem.

Quinam ex Catholicis impugnarint egregiè Monothelitas.

Hæc mihi nunc occurrunt Monothelitarum deliramenta, quibus laniare conati sunt Ecclesias, & oves ab ovili deripere. Eadem hæc non est animus hîc impugnandi, cùm mihi labor omnis irritus videatur; siquidem usque adeo

clarè & efficaciter ejecta sunt in Conc. Later. per sanctum Martinum, in Dialogo sancti Maximi cum Pyrrho, in collationibus ejusdem cum Theodosio Cæsariensi, & cum Judicibus in secretario, in sexta Synodo œcumenica, in libro de duabus voluntatibus per sanctum Joannem Damascenum; ut iis addere, vel quidquam ab iisdem demere, appareat ineptum, ne dicam temerarium. Quam ob rem contenti erimus formales, ut vocant, eorum errores recensuisse, libenter abstinentes ab eorumdem impugnatione, ne Conciliorum ac Patrum scripta compilantes molestiam Lectoribus ingeramus.

SCRUTINIUM V.

In quo vindicantur Honorii epistolæ ab errore dogmatis.

SUMMA SCRUTINII.

§. 1. *Ponitur hæc assertio: Honorius in dogmate nullatenus erravit.*

§. 2. *Afferuntur tres assertionis probationes. Prima desumitur ex auctorita-*

SCRUTIN. V.

te sancti Leonis Papæ.

§. 3. *Altera verò ex epistola synodica Agathonis.*

§. 4. *Tertia demum accipitur ab edicto Imperatoris Constantini Pogonati.*

§. 5. *Solvitur inde Recentioris objectio comparantis doctrinam Honorii cum hæresibus Macarii.*

§. 6. *Explicantur duæ phrases Honorianæ. Prima, qua docet Christi Divinitatem operari media humanitate.*

§. 7. *Altera, qua profitetur apertè unam esse in Christo voluntatem.*

§. 8. *Et ostenditur primò, propositionem celebrem Honorii corruptam esse ab hæreticis.*

§. 9. *Secundò, quòd etiam, si depravata non sit, possit adhuc ex contextu & sensu auctoris optimè salvari: quod pluribus ibi probatur.*

§. 10. *Indicatur demum, quòd, etiamsi Honorius errasset in fide, error hic materialis fuisset, non formalis; nec Petri sedem maculasset, sed privatam solùm Honorii personam.*

Honorius in dogmate nullo modo erravit.

§. 1. EVOLVIMUS hucusque, quatuor scilicet integris Scruti-

niis, & absolvimus omnino causam Monothelitarum: præstat jam in favorem celeberrimæ Honorianæ controversiæ Scrutinia totidem impendere. In hoc ergo quinto Scrutinio totis viribus conabor vindicare à quacunque hæresis suspicione Honorianam illam epistolam, quæ legitur damnata in sancta sexta Synodo œcumenica act. 12. necnon fragmenta alterius, quæ pariter afferuntur act. 13. ejusdem Synodi: & ostendam, cælo favente, Honorii doctrinam Catholicam esse, longéque alienam à Monotheliticis deliramentis, hoc est, (ut verbis utar sancti Maximi in epistola ad Marinum) *Honorium Romanum Papam non diffiteri naturaliter in Christo voluntatum dualitatem, sed hanc potiùs constabilire.* Is igitur offensionis & scandali lapis est, in quem impingunt quotidie unà cum hæreticis haud ignobiles Catholici, latúsque nobis aperitur campus ad præliandum; & ô utinam pugnamentis sit, non cordis, aut inveteratæ passionis!

SCRUTIN. V.

Abstinemus in præsenti ab œconomia stendi, alibi acturi de illa.

Verùm, priùsquam in arenam descendam, juvat hîc præmonere, me nunc consultò prætermittere dispensa-

SCRUTIN. V. tionem illam silendi, sive œconomiam, de qua diximus Scrut. 2. & dicturi fusiùs erimus Scrut. 7. Fateor enim ingenuè, nec ab aliquo poterit negari sine petulantia, Honorium Papam dedisse manus Sergianæ silendi œconomiæ, qua hîc fraudulenter imposuerat tum hæreticis, tum etiam Catholicis, ne una vel duplex prædicaretur in posterum in Incarnationis dispensatione voluntas aut operatio. Quam ob rem nihil inde mirandum, si Honorius suis in epistolis expresse non posuit duplicem in Christo voluntatem aut operationem, cùm & ipse vocum harum silentium libens admiserit, & œconomiam tacendi comprobarit. Hoc ergo solum nobis erit enixè probandum in hoc Scrutinio, scilicet Honorianas epistolas, dempta præcisè, ut vocant, explicita geminæ voluntatis & operationis appellatione, doctrinam omnem sancti Leonis, Concilii Chalcedonensis & sanctorum Patrum exhibere, ac proinde Catholicas esse & orthodoxas.

Prima vindicatio epistolarum Honorianarum.

§. 2. JAM igitur incipiam. Juvat autem, nec modicum adducere pauca quædam acta sextæ Synodi act. 2. in qua

qua jussus est Antiochus Concilii Notarius quintam Synodum Chalcedonensem alta voce percurrere, ut inde aperirentur deliramenta Macarii, quibus inaniter jactabat à sanctis Conciliis fuisse definitam unam Christi voluntatem. *Et accipiens* (inquiunt acta) *Antiochus religiosus Lector & Notarius sanctissimi Patriarchæ Constantinopoleos, primum librum sanctæ Chalcedonensis Synodi relegit. Et relegente eo epistolam, quæ in eis continetur, sanctæ memoriæ Papæ Leonis magnæ civitatis Romæ, & veniente ad textum, in quo scriptum est: Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit: Verbo quidem operante quod Verbi est; carne autem exequente quod carnis est; & horum unum coruscat miraculis, aliud verò succumbit injuriis: exsurgentes qui ex parte Apostolicæ Sedis erant antiquæ Romæ, exclamarunt: Ecce, benignissime Domine, manifestè duas naturales operationes inconfusè & indivisè in Domino nostro* JESU CHRISTO *præsens sanctissimus prædic.. Pater.* Sistas hîc aliquantulum, Lector; & causâ concidam, nisi tibi paucis ostendero, Honorium in hoc puncto longè clariùs efficaciúsque fuisse SCRUTIN. V.

SCRUTIN. V.

locutum, quàm ſanctum Leonem. Audi ejuſdem verba in ſecunda epiſtola, & poſt modum judica. *Quantum ad dogma Eccleſiaſticum pertinet, utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei ſunt, operantem, & humanam, quæ carnis ſunt, exequentem: non divisè neque confusè, aut inconvertibiliter Dei naturam in hominem, & nec humanam in Deum converſam edocentes.* Quid in Leone occurrit expreſſum, quod in Honorio longè clariùs non inveniatur expoſitum? Si legas ex illo, quòd in Chriſto *agit utraque forma cum alterius communione*; legam & ex iſto, quòd in eodem *utraque natura cum alterius communione operatur.* Si reponas ex uno, *Verbum operari quod Verbi eſt, carnem exequi quod carnis eſt;* reponam & ex altero, *divinam naturam in Chriſto operari quæ Dei ſunt, humanam exequi quæ carnis ſunt.* Quinimmo ſubdam, Honorium, ut longiùs recederet ab Eutychianiſmo & Neſtorianiſmo, addidiſſe, *non divisè neque confusè* eas operari: quæ verba non ita promptè reperies in

Quam bene cohæreat S. Leo cum Honorio.

adductis ex ſancto Leone. Quanto igitur potiori jure potuerim cum Legatis Apoſtolicis exclamare: *Ecce, veritatis amator, manifeſtè duas naturales voluntates & operationes ſanctiſſimus prædicat Honorius.* Hoc arguendi genere eò fidentius utor, quò certiùs agnoſco, Victorem Carthaginenſem, Sergium Cyprienſem in ſuis epiſtolis ad Theodorum Papam adductis in Conc. Later. ſecret. 2. necnon omnino Patres ejuſdem Concilii, atque ſanctæ ſextæ Synodi, ſanctúmque Joannem Damaſcenum in lib. de duabus voluntatibus, unanimiter afferre contra Monothelitas verba hæc Pontificis Leonis, utpote manifeſtè deſtructiva Monotheliſmi. SCRUTIN. V.

§. 3. NEC his acquieſcens progredior ulteriùs, & ex fidei confeſſione, quam profert ſanctus Agatho in ſua ad Conſtantinum act. 4. ſextæ Synodi, Honorianas epiſtolas vindico ab errore dogmatis. *Duas* (aſſumit Agatho) *Chriſti naturas prædicamus, divinam ſcilicet & humanam. Unamquamque ejus naturam proprietatem naturalem habere confitemur, & habere divinam omnia quæ divina ſunt, & humanam omnia quæ humana ſunt abſ-* *Altera defenſio Honorii petita ex doctrina S. Papæ Agathonis.*

SCRUTIN. V.

que ullo peccato. Æqualiter & divisionis & commixtionis detestamur blasphemiam. Pauculis istis lineis Agatho comprehendit quidquid est opportunum ad evertendos Monothelitas, & aperiendas fidei veritates. Hinc licèt inferiùs in eadem fidei confessione palam & explicitè duas in Christo fateatur voluntates, ac totidem operationes; (in quo promptè fatemur ab Honorio discrepare) id profectò non eruit aliunde, quàm ex nuper citatis ex eodem principiis, sic inferens: *Consequenter juxta regulam sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Christi Ecclesiæ duas etiam naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes confitemur & prædicamus.* Bene, inquam, *consequenter*, scilicet ex visceribus præmissarum, quas nuper ex ipsomet exposuimus. Hìc iterum fas est sistere tantisper, ac obiter evolvere, quàm consona sit confessioni Agathonis doctrina Honoriana. Nefas est & indignum viro Christiano dubitare, Honorium suspicatum vel leviter fuisse de duplici Christi Domini natura. Ulteriùs, apertum est eundem Honorium non minùs ac sanctum Agathonem manifestè fassum, utram-

Honorius bene cohæret cum principiis S. Agathonis.

que naturam operari quæ propria sunt, juxta ea quæ §. antecedenti ponderavimus. Quid ergo supererat ab Honorio palam profitendum, ut eadem quæ docuit sanctus Agatho, edoceret, utque ab ipso tantùm differret in explicita voce geminæ voluntatis & operationis? An fortè decernendum supererat, mansisse in Christo duplicem proprietatem naturarum? Profectò non semel, sed bis hoc ipsum fassus est Honorius. Ecquid enim aliud sibi vult phrasis Honoriana, *divinam naturam in Christo operatam esse quæ Dei sunt, & humanam quæ carnis sunt;* nisi utramque naturam operatam esse *proprias* operationes? Rursus quid aliud præ se ferunt illa verba: *Oportet ipsas duas naturas, id est, Divinitatis & carnis assumptæ in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfusè, indivisè atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes;* nisi quòd in Christo remanserint post unionem utrarumque naturarum proprietates? Supererat forsan ab Honorio confitendum, mansisse post dispensationem differentias naturarum? Procul hinc ista conceptio: quinimmo prædicavit hoc ipsum & semel & SCRUTIN. V.

SCRUTIN. V. bis. *Profectò*, inquit, *nos instruens, quòd Divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter atque singulariter, ut discretè atque inconfusè, sic indivisè videretur conjungi, ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri.* Atque iterum: *Naturarum*, inquit, *in Christo differentias integras confitentes, unus atque idem humilis & sublimis, &c.* Vides quàm bene invicem cohæreant Agathonis confessio & Honorii doctrina, adeo ut de sola silendi œconomia sit inter illos discrimen?

Doctrina Honorii consonat doctrinæ Concilii Chalcedonensis.

Et unde rursus (cuperem edoceri) deduxêre Patres, tum Concilii Lateranensis, præsertim secret. 3. tum sextæ Synodi, sæpe sæpius fuisse in Chalcedonensi definitas geminas in Christo voluntates & operationes; nisi ex eo, *quòd sancta & universalis Chalcedonensis Synodus in sua definitione prædicat, nunquam sublatam differentiam naturarum propter unitionem, magis autem salvam indiminutè proprietatem utriusque naturæ.* Quonam igitur jure (positis hisce Synodorum definitionibus) fugillabimus Honorium ut Monothelitam, cùm &

ipse disertè fateatur, mansisse in Christo post unionem & naturarum proprietates & differentias earundem, quas opus est penitus amputare, qui duas à Christo voluntates explodit, ut inculcat eruditè Maximus Aquileiensis Episcopus in Conc. Later. secret. 1. SCRUTIN. V.

§. 4. PLACET etiam hoc ipsum constabilire ex edicto Constantini Pogonati, quod habetur in sexta Synodo act. 18. Studet ibi Imperator ex quibusdam verbis sancti Leonis eruere, utramque naturam in Christo fuisse indivisè operatam ea omnia, quæ sibi forent propria; perinde ac si istud constitisset, protinus corrueret tota moles Monothelitarum. Ipsum igitur audiamus: *Sanctissimus Leo in epist. ad Imperatorem hæc asserens: In tantam unitatem ab ipso conceptu Virginis Deitate & humanitate conserta, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana.* Ex hisce verò verbis sancti Leonis infert Constantinus: *En manifestè hic Pater asseruit, quia in Personæ unitate communiter & non disjunctè neque confusè utraque natura operata est quod naturale ejus erat & proprium.* Ex quo deinde principio Monotheliſmum *Vindicatur etiam Honorius ex edicto Constantini Imperatoris.*

SCRUTIN. V. evertit, cùm minimè fieri poſſit utramque naturam operari *propria*, & duas inde non oriri operationes. Preſſo hîc pede fas eſt incedere, & attentè conſiderare, an his Honorius contradicat. Et quidem manſiſſe per Honorium in Chriſto utraſque naturarum differentias, proprietates utraſque, & utraſque naturas fuiſſe *propria* operatas; ſatis liquet ex dictis ſuperiùs. Si verò ſanctus Leo aſſerit, *quòd in Chriſto nec ſine homine divina, nec ſine Deo agebantur humana*; hoc pariter ipſum edocuit Honorius: nil enim in epiſtolis ejuſdem familiarius, quàm *utramque naturam indivisè & inconfusè fuiſſe operatam*. Et nihil aliud ſibi poſcunt illa verba Honoriana: *Ipſe Filius hominis de cælo deſcendens, unus atque idem (ſicut ſcriptum eſt) crucifixus Dominus Majeſtatis, dum conſtat Divinitatem nullas poſſe perpeti paſſiones, & non de cælo, ſed de ſancta eſt aſſumpta caro Dei Genitrice*; niſi utramque naturam cum alterius communione fuiſſe, quæ ſibi forent propria, operatam. Quam ob rem firmiter aſſeruerim Honorii doctrinam, dempta preciſè explicita appellatione geminæ voluntatis &

operationis, hoc est, abstractâ silendi œconomiâ, in omnibus unanimem esse cum principiis sancti Leonis ac fidei Catholicæ. SCRUTIN. V.

Nec te deterreat, si fortè legeris in Honorio, fuisse Christum unum tantùm operatorem tum divinorum, tum humanorum. quod cùm aliàs, tum illis verbis edocuit manifestè: *Simpliciter atque veraciter confitentes Dominum* JESUM CHRISTUM *unum operatorem divinæ atque humanæ naturæ.* Non, inquam, deterrearis: *hujus enim veritatis* (fas est loquì cum eodem) *plenæ sunt sacræ Literæ luculentiùs demonstrantes.* Nec ab hoc principio, licèt Monothelitis familiari, esse debet alienus quilibet Orthodoxus, cui quoque consensit Sophronius in sua synodica act. 12. sextæ Synodi: *Unus*, inquiens, *Filius cognoscebatur, qui omnem ex se proferebat operationem divinam & humanam, exiguam & immanem, humilem atque cælestem, carnalem & incopoream, &c. Unus itaque idemque cùm sit secundùm subsistentiam Filius indivîsus, & duarum naturarum idem ipse noscatur, secundùm aliam quidem divina signacula operabatur, secundùm aliam verò humilia*

Honorium meritò docuit Christum esse unum operatorem.

SCRUTIN. V. *recipiebat.* Quæ propemodum omnia legentibus occurrunt epistolas Honorii, præsertim secundam.

Objectio quædam Patru Combefis.

§. 5. SI quis autem rixarum amans hîc urgeat unà cum Patre Combefis, hæc scilicet omnia principia, quæ tot artibus eruimus ex epistolis Honorii, tradita pariter fuisse per Monothelitas, ut nos etiam retulimus Scrutinio superiori §. 10. ea tamen minimè suffeciſſe, ne Macarius cum sociis inter hæreticos meritò reponeretur.

Duplex objectionis responsio.

Hoc igitur, si mihi nunc opponatur, duplici telo confodiam: primo quidem, quia in Macario sociisque coævis eidem, simul cum dogmate damnata fuit animi protervitas & contumacitas affectus. Ecquis unquam poterit Macario similis in impietate reperiri? qui post tot Pontificum decreta, post tot Conciliorum & Romæ & alibi celebratorum definitiones, post compertum sanctorum Patrum consensum, & Episcoporum in magna Constantinopolitana sexta Synodo unanimem voluntatem, fatentium, duas esse disertè profitendas in Christo voluntates & operationes, ad evertendas hæreticorum fraudes sub-

Contumacitas Macarii.

æquivocationum latebris hæresim occultantium; ipse nihilominus versipellis, audax, pertinax, verbis ambiguis, confusis & fallentibus jactarit adhuc in eadem Synodo act. 8. quòd *non esset dicturus duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in Incarnationis dispensatione D. N.* JESU CHRISTI, *nec si membratim incideretur & mitteretur in mare:* quin immo non erubuerit asserere coram eadem sancta Synodo, se, quas poterat, turpiter violasse Patrum auctoritates, ut malè conceptum errorem quibuscunque fraudibus tueretur. Quæ quidem in Honorio nullatenus evenêre, in quo nulla poterit unquam ostendi aut protervitas affectus, aut animi contumacitas. SCRUTIN. V.

Reponam ulteriùs, (& hoc erit alterum telum ineluctabile, quo confodiatur Recentioris objectio) quòd licèt Macarius sociique plurima inseruerint in suis scriptis orthodoxa principia, ea tamen hæresibus commiscentes usque adeo deturparunt, ut speciosam Orthodoxiæ faciem penitus amiserint: quòd sanè in Honorianis epistolis nullatenus ostenditur, in quibus, si quæ fortè oc- *Monothelitæ miscent catholica cum hæreticis.*

SCRUTIN. V. currunt ambigua, ex contextu sensúque Honoriano aptissimè explicantur, ut etiam nos explicabimus, secuti Anastasium Bibliothecarium in Præfatione ad sua Collectanea, quæ dici meritò potest Apologia pro Honorio, ubi prudenter admonet, sensus hominum alioquin piorum & famæ satis celebris trahi semper debere in melius.

Prima phrasis Honoriana indigens explicatione.

§. 6. DUAS igitur tantummodo phrases in Honorianis epistolis invenio, quæ prima facie favere videntur Monothelitis. Harum prima est, qua docet Honorius, Divinitatem Christi operatam esse media humanitate: quæ quidem propositio prima fronte præferre videtur speciem illam Monothelismi, constituentem totam Christi humanitatis operationem in quadam mediata & instrumentaria operatione, juxta ea quæ retulimus superiori Scrutinio. Verba igitur ea sunt: *Confitentes Dominum* JESUM-CHRISTUM *mediatorem Dei & hominum operatum divina, media humanitate Verbo Dei naturaliter unita.*

Quàm facile sit labi in hæresim Monotheliticarum.

Labile satis est satisque periculosum in hac materia ab Orthodoxia sese dare præcipitem in Monotheliſmum. Ecquid

enim magis catholicum, magisque consonum Patribus & Theologis, quàm Christi humanitatem ita esse instrumentum Divinitatis sibi unitæ, ut tamen circa propria suam efficiat operationem? Hoc edocuit apertè sanctus Athanasius lib. 4. contra Arianos, relatus tum in Conc. Later secret. 5. tum in sexta Synodo act. 10. *Hæc*, (inquit ibi) *necessario præexaminavimus, ut si viderimus eum per instrumentum propriæ carnis divinum quid agentem, sive loquentem, cognoscamus quia Deus existens hæc operatur: & iterum si viderimus eum humanè loqui vel pati, non ignoremus, quòd carnem indutus factus est homo.* Nec his absimilia pluries tradidit inter Doctores Angelicus, præsertim in tertia part. qu. 19. art. 1. in cujus corpore disertè profitetur, Christi Domini humanitatem in ordine ad operationes divinas esse Divinitatis *organum & instrumentum*. Cumque sibi objecisset Monothelitarum argumenta, ac inter ea: *Principalis agentis & instrumenti est una sola operatio; sed humana natura in Christo fuit instrumentum divinæ: ergo eadem est divinæ & humanæ naturæ in Christo operatio.* Respon-

SCRUTIN. V.

Quo sensu humanitas Christi sit instrumentum Divinitatis.

SCRUTIN. V. dit angelicè : *Operatio, quæ est humanæ naturæ in Christo, in quantum est instrumentum Divinitatis, non est alia ab operatione Divinitatis; non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi & Divinitas ejusdem: habet tamen humana natura in Christo, in quantum est natura quædam, quandam propriam operationem præter divinam.* Quæ quidem omnia orthodoxissima sunt, & basis Orthodoxiæ in abditissimis quæstionibus de sacrosancta Christi dispensatione. Quid autem ex opposito magis hæreticum, magisque alienum ab orthodoxis veritatibus, quàm Christi humanitatem in omnibus operationibus quà divinis, quà humanis esse merum *organum & instrumentum* Divinitatis; ac proinde nullum interesse discrimen inter modum quo Christi humanitas concurrit ad divina, & modum quo concurrit ad humana.

Differentia Monothelitarum ab Honorio.

In hoc secundo sensu errarunt unanimiter Monothelitæ, ac inter eos Theodorus Pharanitanus in Conc. Later. secret. 3. *Sine quadam* (sic loquitur) *difficultate docemur, quoniam omnia, quæ salutifera dispensationis sunt, sive divina,*

ſive humana, de Salvatore noſtro Chriſto dicuntur: initium quidem à Divinitate utpote permiſſum, & exordium accipiebant; mediante autem intellectuali ac rationali anima miniſtrabantur à corpore. Quem ſecutus Macarius in ſexta Synodo actione undecima, eodem loquitur ſpiritu pravitatis. *Ad ſingula, qua fiebant, uti cooperariam quandam & adjutricem, præſertim ad hoc, ſanctam carnem ſuam aſſumere nitebatur, ut oſtenderet vivificare valentem.* Bene, inquam, *ad ſingula*, ſcilicet tum ad operationes divinas, tum ad humanas, nihil inter utraſque diſtinguens, circa quod obſcuriſſimis verborum ambagibus proceſſere ſemper Monothelitæ, ut hac arte veritates cum falſitatibus implicarent indiſſolubiliter. SCRUTIN. V.

Honorius verò in ſuis epiſtolis nihil unquam tale ſomniavit: quin etiam aſſerens, Chriſtum Dominum operatum eſſe divinas operationes *media humanitate*, omnino catholicè locutus, ac juxta phraſim ſanctis Patribus familiarem, qui *novam* illam *Theandricam*, id eſt, *Deivirilem*, ſeu *divinam*, ſeu *divinohumanam operationem*, quam Dionyſius prædicat in Chriſto, explicant ubique *Honorius ſentit qua ſancti Martinus & Sophronius.*

SCRUTIN. V.

per hoc, quòd *cùm Deus esset factus homo, ita divinam ederet operationem, quæ media fieret humanitate; ita humanam exequeretur, quæ divinæ ministraret*; ut, explicat inter alios adversus Monothelitas sanctus Joannes Damascenus in lib. de duabus voluntatibus, & ferme totidem verbis ante Joannem tradiderat in suis epistolis Honorius. Quapropter non est inde mirandum, si eadem phrasi, qua utitur Honorius, utantur etiam non rarò Monothelitarum egregii profligatores, ac inter eos Martinus Papa secret. 1. Conc. Later. ubi post multa ad id facientia subdit: *Divina corporaliter operabatur, eò quòd per animatam intellectualiter sanctam ejus carnem hæc omnia proferebat.* Nec absimilia docuit Sophronius in sua synodica, pluries asserens, Christi Divinitatem operatam esse suas operationes *per humanitatem*, ad eum modum, quo dixit Honorius, *media humanitate*: quæ loquendi formula catholica est.

Expenditur altera phrasis Honorii, explicaturque.

§. 7. ALTERA phrasis Honoriana, longè difficilior, minimè tamen dissimulanda, ea est, quòd dicat apertè: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri*

stri JESU CHRISTI. Hæc enim propositio (sic plus æquo exaggerant Adversarii) formalem continet Monothelismum. Qua de causa jure potuit Constantinus Pogonatus act. 18. sextæ Synodi non abs re Honorium fugillare notâ inconstantiæ, perinde ac sibimetipsi contradiceret, & sua scripta suis iisdem scriptis oppugnaret. Quælibet ergo quæ adducatur excusatio, violenta videbitur & importuna, cùm nimiùm clarè faveat Monothelitis Honorii propositio: sique semel hæc explicetur, nil erit ita devium à fide, nihilque ita perfidè & blasphemè prolatum, quod hac arte non possit excusari. SCRUTIN. V.

§. 8. QUAM bellè! quàm bene! Rem hanc pro libito sibi consuant Adversarii: nos non è cerebo, sed duce veritate dissuemus. Trement, opinor, si fortè dixerim in Honorii favorem, fuisse ab hæreticis adulteratam celebrem illam Honorii propositionem, in quam toties impingunt, qui eum hæresis insimulant: sique rursus asseruerim, nunquam ab Honorio fuisse prolatam particulam illam, *unam*, nec uspiam de voluntatibus & operationibus numerali- *Monothelitæ corruperunt epistolas Honorii.*

SCRUTIN. V.

ter fuisse locutum. Eos hîc ego amicabiliter horter, ut conceptos fremitus & amarulentias deponant, utque Maximi auctoritatem discant aliquando venerari, qui mihi stimulos adjecit, ut id Honorii causâ defendendi reponerem, in quo si fortè decipiar, glorioſum adhuc erit errare cum Maximis. Abbas igitur iste sanctissimus in epistola ad Marinum, quæ habetur in toties citatis Anastasii Collectaneis, ita scribit de Anastasio Presbytero è seniori Roma Constantinopolim reverso, à quo isthæc oretenus fuerat mutuatus: *Insuper percontans eum, qui hanc epistolam per jussionem Honorii Latinis dictaverat dictionibus, Dominum videlicet Abbatem Ioannem sanctissimum Symponum affirmantem, quòd nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis, licèt hoc nunc sit fictum ab his, qui hanc in Græcam vocem interpretati sunt.* Temerene asserui, corruptam esse illam propositionem Honorii, cùm Maximum habeam hujus rei assertorem, cujus auctoritatem vel ipsis Monothelitis sanctam & inviolatam fas est pessumdare? quis me fortè de novitate velit arguere?

Et si fas est hominibus probabiliter ratiocinari, profecto conjecturam, quæ quidem à memetipso vim eripuit evidentiæ, ut inde conficiam, quàm sit rationi consentaneum, propositionem illam Honorii fuisse à Monothelitis adulteratam. Retulimus in Scrut. 2. violationem per cap. 7. Conciliabuli Alexandrini verbis S. Dionysii illatam, qui cùm *novam* quandam *Deivirilem* voluntatem in Christo posuisset, id corruperunt, perinde ac *unam Theandricam* prædicasset voluntatem. Quod etiam observavit sanctus Joannes Damascenus in lib. de duabus voluntatibus, cujus hæc sunt verba: *Nec magnus Dionysius unam Dei & hominis actionem dixit, sed simpliciter novam, id est, inusitatam; utraque enim inusitata erat, ac Divino-humana: neque enim illis verbis numerum expressit, sed modum inusitatum.* Rursus etiam ex Pyrrho protulimus, idem fuisse apud Monothelitas asserere *novam* in Christo voluntatem, ac *unam* prædicare. Sentio igitur cùm Maximo, Monothelitas eos qui epistolas Honorianas Latinè conscriptas in idioma Græcum transtulere, pro *nova* voluntate posuisse *unam* vo-

SCRUTIN. V.

Qua facilitate potuerint illas corrumpere.

SCRUTIN. V.

luntatem, ut qui Dionysium corruperant, vi trahentes ad sua, Honorium etiam violarent, ut eum vel invitum sibi patronum arriperent.

Honorius posuit in Christo novam voluntatem, non unam.

Quòd autem in sua Latina epistola posuerit Honorius *novam* cum Dionysio, non verò *unam* cum Monothelitis, tribus conjecturis probabiliter evinco. Prima sit, quòd Honorius in epistola studet ubique cum sanctis Patribus effari: inde arguo congruenter eo in loco cum Dionysio fuisse locutum, cujus sunt plurima ex verbis circumjacentibus propositioni. Altera sit, quòd est indignum stolido viro, nedum docto Pontifice, qui *Clerum in multis erudierit*, definire, ne una vel gemina in Christo prædicaretur voluntas: quod ibi decernit apertè, si interim ipse & unam defenderet, & unam apertè prædicaret. Quod aliud esse non videtur, quam legibus arcere, ad quod impellas exemplo. Tertia demum ex conjecturis est, quòd ratio, quam subdit Honorius propositioni celebri, nulla prorsus sit & inepta, si semel dicamus eum scripsisse *unam* voluntatem: cùm tamen consonet intentui, si pro *una* substituamus *novam*. Ratio, quam

subdit, hæc est: *Quia à Divinitate assumpta est nostri natura, non culpa; illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ per prævaricationem vitiata.* Quid intererat ad conficiendum, *unam esse in Christo voluntatem*, asserere, assumptam fuisse à Christo humanitatem peccato non fœdatam? cùm ex hoc, non nisi stolidè, inferatur, assumpsisse humanitatem sine humana voluntate; quod erat unicè necessarium ad probandum, unam in Christo reperiri voluntatem. Plurimùm verò refert asserere, quòd Christus non assumpserit peccatum, nec carnem peccato fœdatam, ad inferendum, *nova* præditum fuisse voluntate, qua scilicet careant reliqui homines prævaricantes in Adamo, & voluntatem sordidam assumentes, subditam legibus sensûs & petulantiis concupiscentiæ. Video quidem hæc omnia posse pluribus eludi: idcirco inter meras conjecturas eadem repono, contentus solummodo cum sancto Maximo statuere, Honorium non posuisse particulam *unam*, parvi faciens quid ejus loco reposuerit, dum præsertim, silentibus antiquorum monumentis, facillimum est labi divinantem. SCRUTIN. V.

SCRUTIN. V.

Alia via communi vindicatur Honorius.

§. 9. QUIA tamen glorioſum eſt pro tanto Pontifice pugnare, lubet aliâ viâ, licèt communi, non ideo tamen minùs efficaci, vindicare propoſitionem Honorii, adhuc admiſſo, quòd aſſeruerit *unam* voluntatem, non verò *novam*. Nec erit, ut arbitror, mirum eruditis, aſſerere, multas quandoque propoſitiones à ſanctis Patribus exhiberi, quæ prima facie præſeferant hæreſim, & quæ ſi rigoroſâ trutinâ examinarentur, errore non carerent; eæ tamen ex ſcopo & contextu Doctoris benignam excipiunt interpretationem. Quoties ſanctus Auguſtinus diſputans adverſus Manichæos ita naturæ vires extollit, ut faveat apparenter Pelagianis? & quoties Pelagianos confutans, ita deprimit vires ejuſdem naturæ, ut in Manichæiſmum putet eum incidiſſe, quiſquis verborum corticem fuerit intuitus? Quoties ſanctus Hieronymus adverſus Vigilantium vindicaturus Virginitatem, ita ſe geſſit, ut matrimonium damnare putent quicunque Patrum dogmata ſive malignè, ſive negligenter evolvunt? Quoties Patres Græci, præſertim Chryſoſtomus in homiliis de incomprehen-

Quædam propoſitiones in Patribus prima facie videntur hæreticæ.

sibili Dei natura disputans adversus Anomæos in Armenorum errorem impingere videtur, negantium Deum prout est in se, videri posse à creaturis, sed solùm in fulgore quodam ab ipso mirabiliter emanante, si semel ad verborum superficiem mentis aciem convertamus? Et tamen his omnibus, aliisque plurimis, insigniores Theologi, eorumque dux sanctus Thomas, benignam aptant interpretationem, habito respectu, ut par est, ad scopum auctoris, ad hæreses, quas impugnabant, ad contextum eorundem, & ad alia non pauca, ex quibus dignosci potest & debet legitimus eorundem sensus. Quamvis igitur illa celebris Honorii propositio, *Unde & unam voluntatem, &c.* prima facie præseferat Monotheliſmum, si tamen intimè consideretur scopus, & ejusdem contextus, benignam non exhorret interpretationem. SCRUTIN. V.

Explicantur epistolæ Honorii verbis sui Secretarii.

Et quidem, (ut à scopo interim exordiar) quis aptior interpres, ut urget sanctus Maximus in Dialogo cum Pyrrho, quàm ipse Secretarius, quo Pontifex usus est in illis exarandis, videlicet venerabilis Abbas Joannes? Hic ergo

SCRUTIN. V. in Honorii defensionem, jussu Joannis IV. Pontificis, sic illam explicuit: *Cùm Sergius scripsisset, quòd quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, rescripsimus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus signabat.* Quibus apprime cohærentia tradit ipse Joannes IV. in apologia pro Honorio ad Constantinum filium Heraclii: *Sergius reverendæ memoriæ Patriarcha prædicto sanctæ recordationis Romanæ urbis Pontifici significavit, quòd quidem in Redemptore D. N.* JESU CHRISTO *duas contrarias dicerent voluntates.*

Quidquid autem sit, an hæc in epistolis Sergii reperiantur, quod sua non caret difficultate: non enim Sergius visus est unquam id Honorio significasse, saltem in epistolis, quæ supersunt; cùm solùm in illis asserat, ideo nonnullos non prædicare in Christo duas voluntates, quia hæc sibi invicem opponerentur: quod est longè diversum, ac asserere, duas esse in Christo contrarias voluntates; cùm potiùs, ne voluntates

se invicem oppugnantes ponerent, unam tantùm prædicarent, existimantes minimè posse duas esse simul in eadem persona voluntates, quin sibi adversarentur. Quidquid, inquam, de hoc sit, à quo placet consultiùs abstinere, nullum est dubium, ad id Honorium præcipuè respexisse, ut geminas à Christo, seu magis propriè à Christi humanitate excluderet voluntates contrarias, *secundùm quod* (ut loquitur ibi Joannes IV.) *quidam hæretici, veluti in puro homine delirare noscuntur.* Quod ut evinceret Honorius, ostendit non convenire Christo quod de seipso prædicat Apostolus: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* totúsque est, ut pugnam illam & reluctantiam carnis adversus spiritum, quam in nobis experimur, refundat in Adami peccatum, ut inde conficiat, quòd cùm Christus nec assumpserit peccatum, nec carnem peccato fœdatam, pariter nec illam assumpserit contrarietatem voluntatum, sive *legum*, ut appellat Apostolus, sive *inclinationum* & *affectuum*, ut Philosophis placet, quam in nobis post prævaricationem deploramus.

SCRUTIN. V.

Honorius præcipuè intendebat à Christo excludere voluntates contrarias.

SCRUTIN. V. Ex his iterum videre est in hac Monothelitarum controversia, neque per ipsos Patres orthodoxos nomine voluntatis venisse semper appetitum rationalem, sive potentiam volitivam: cùm liqueat tum in epistola Joannis Papæ, tum in verbis nuper adductis ex Honorii Secretario, duas in quolibet homine reperiri voluntates; cùm manifestissimum sit his in locis sumi voluntatem pro affectibus sive inclinationibus, ita ut sensus sit, in quolibet homine post peccatum potentiam sensitivam & carnalem pugnare adversus rationalem, & motum unius contra motum alterius insurgere.

Hæc autem omnia clariùs elucescent, si respexerimus contextum propositionis, præsertim verò rationes, quibus usus est Honorius ad asserendam suam illam celebrem propositionem. Ex verò sunt: *Quia à Divinitate assumpta est nostri natura, non culpa; illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ per prævaricationem vitiata.* Et rursus: *Sine peccato conceptus est de Spiritu sancto ex sancta immaculata semperque Virgine Dei genitrice Maria, & sine contagione ex ea*

Expenduntur rationes Honorianæ pro celebri sua propositione.

secundùm carnem natus est. Quæ profectò rationes nil aliud evincunt, nisi quòd in eo solùm sensu sit una in Christo voluntas, scilicet ad exclusionem voluntatis, seu veriùs affectûs & inclinationis peccaminosæ, & peccato fœdatæ; non autem ad exclusionem voluntatis humanæ puræ & innocentis, quæ ante peccatum creata est. Unde cùm dicat, assumpsisse naturam humanam *in eo statu, in quo fuit creata;* asserit etiam, assumpsisse potentiam volitivam puram & innocentem: nisi fortè velimus insanire, dicentes Honorium, non tantùm in Monotheliſmum, sed & in Manichæismum incidisse, excludendo à quocunque homine voluntatem naturalem, solúmque ponendo voluntates Dei & diaboli, ut de quibusdam Monothelitis observavimus Scrut. 4. §. 4. SCRUTIN. V.

Item in hoc Honorius in suis epistolis incumbit enixè, ut distinguat duplicem *carnis* acceptionem, quocirca multis adductis sacræ Scripturæ testimoniis, evincit eruditè & efficaciter, *carnem* aliquando sumi in bono sensu, accipi tamen non rarò in mala significatione. *Quæ de causa distinguat Honorius duplicem acceptionem carnis.*

SCRUTIN. V. Quo ſtatuto progrediens ulteriùs excludit à Chriſto voluntatem *carnalem*, ſumpta *carne* in ſenſu pravo, non autem in bona acceptione: quod excludere eſt omnino alienum ab Honoriana intentione. ac proinde liquet apertè ſolùm intendiſſe excludere voluntatem, ſeu propriùs legem, affectum & inclinationem ortam ex *carne* fœdata, quod eſt planè catholicum.

Alia explicatio Honoriana propoſitionis.

His etiam addiderim, quod Honorius in ſuis epiſtolis edocet, ideo Chriſtum non ſuam, ſed Patris ſemper feciſſe voluntatem, ut homines edoceret ad conformitatem cum divina voluntate. Verba igitur Honorii ſunt hæc: *Iſta enim propter nos dicta ſunt, quibus dedit exemplum, ut aſſequamur veſtigia ejus, pius Magiſter diſcipulos imbuens, ut non ſuam unuſquiſque veſtrûm, ſed potiùs Domini in omnibus præferat voluntatem.* Ex his igitur verbis aliam eruo explicationem Honorianæ propoſitionis, quæ magis elucidat ſuperiorem: videlicet Honorium in eo ſenſu poſuiſſe in Chriſto *unam* voluntatem, ſcilicet *unanimem* & *conformem* in omnibus voluntati divinæ, adeo ut in ſingulis operibus ſeſe con-

formarit voluntati Patris; cùm præsertim, ut observat sanctus Maximus in Dialogo cum Pyrrho, non rarò sancti Patres doceant, voluntatem Dei & Sanctorum *unam* & *eandem* esse: quas locutiones explicat optimè sanctus Abbas de *unitate* objecti, & de *conformitate* in volendo. Unde sicut ex eo quòd homines dicantur facere voluntatem Dei, non infertur, voluntatem Dei & hominum *unam* esse, si *unam* significet *singularem*, & prout *unum* opponitur *multiplici*; sed solùm *unam*, prout *unum* sonat *unanime*, & prout opponitur *contrario*. Sic etiam Christus, seu veriùs Christi humanitas dicetur *unam* habuisse cum Deo voluntatem *unitate conformitatis*, non autem *singularitatis*, quod heutiquam intendit Honorius, qui ad ostendendum apertiùs se solum hoc intelligere, inquit: *Non est assumpta, sicut præfati sumus, à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus; sed venit quærere & salvare quod perierat, id est, vitiatam humani generis naturam: nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori.* Ex quibus apparet, loqui Ho-

SCRUTIN. V.

SCRUTIN. V. norium de *unitate*, quæ opponitur *diverſitati* & *contrarietati*, hoc eſt, de *unanimitate*, non autem de *unitate*, prout contraponitur *multiplicitati*, de quo parum curat Honorius.

Explicatur Honorii propoſitio ex verbis ſancti Cyrilli.

Demum placet hæc omnia conſtabilire ex actis ſextæ Synodi act. 1. Cùm enim ibi per Stephanum Macarii diſcipulum legerentur acta Concilii Epheſini, cúmque ventum eſſet ad illa verba ſancti Cyrilli : *Eſt enim Chriſti omnipotens voluntas ;* ſurrexit Macarius, contendens, Cyrillum his verbis docuiſſe unam tantùm in Chriſto voluntatem. Facilè tamen à Patribus ejecta fuit Macarii garrulitas, eo quòd Cyrillus ibi loquatur de voluntate Chriſti divina; quod ſatis expreſſit per particulam *omnipotens*. Eodem autem pacto Honorius, quamvis unam poſuerit in Chriſto voluntatem, eam limitavit ad voluntatem *carnis* & *membrorum*, hoc eſt, ad voluntatem humanam, ut pluries in ejus epiſtolis legendum occurrit. Unde quemadmodum Cyrillus prædicans in Chriſto voluntatem *omnipotentem*, non excluſit voluntatem humanam; ita nec Honorius admittens in Chriſto unam

voluntatem *membrorum & carnis* non fœdatæ peccatis, erit dicendus Monothelita, perinde ac excluſiſſet divinam voluntatem. Hæc ponderatio deſumpta eſt ex verbis ejuſdem Honoriani Secretarii. *Hoc autem*, inquit ille, *ita eſſe, argumentum evidens eſt, meminiſſe membrorum & carnis, quæ quidem in Divinitate non licet intelligere.* SCRUTIN. V.

Hæc quæ diximus hucuſque, vindicant, opinor, abundè ab omni dogmatis errore Honorianas epiſtolas. Eò verò dictis libentiùs acquieſco, quò clariùs apparet in hoc puncto eadem nobiſcum ſenſiſſe Joannem IV. ſanctum Maximum, & Anaſtaſium Bibliothecarium, qui explicant unanimiter cum Honorii Secretario propoſitionem ejuſdem de voluntatum contrarietate, quam ſolùm excluſit epiſtolis Honorius. *Quinam vindicarint Honorium ex antiquis.*

§. 10. PRO coronide Scrutinii duo breviſſimè ſubjicio. Primum eſto, quòd etiamſi demus Honorium erraſſe in fide, quod mordicus impugnavimus hucuſque, adhuc eſſet dicendum, non eum in hæreſim lapſum eſſe, quam vocant formalem, ſed ſolummodo materialem; videlicet nullam in eo interveniſſe per- *Si Honorius erraſſet, fuiſſet error materialis.*

SCRUTIN. V.

tinaciam in illa tuenda, cùm tamen *hæreticus formalis*, ut bene docet Anastasius in præfatione ad sua Collectanea, *non ex erroris tantùm deceptione, quantùm ex electione non recta & contentiosa pertinacia generetur.* Unde ibidem Anastasius in favorem Honorii sic loquitur: *Quis Honorium interrogavit? quis intentionem investigavit? quis hunc corrigere voluit? & illi percontanti, aut emendare volenti restitit, vel contentionibus serviens insultavit?* Certè hujusmodi pertinacia in Honorio non deprehenditur; quinimmo dubitari non potest, zelum fidei non vulgarem, licèt in illis circumstantiis omnino superfluum, præferri in ejusdem, quæ supersunt, epistolis, aliisque actibus eximiæ pietatis.

Etsi errasset formaliter, non infecisset sedem Petri.

Alterum esto, quòd etiamsi Honorius errasset in dogmate, non tantùm materialiter, sed etiam formaliter cum animi pertinacia, adhuc, inquam, non infecisset sedem Petri, adversus quam portæ inferi nunquam prævalebunt: hoc enim casu, quem aliqui ut moraliter impossibilem arbitrantur, dicendum esset Honorium errasse ut personam, doctorémque privatum, non ut caput Ecclesiæ:

Ecclesiæ : cùm præsertim Honoriana epistola hortatoria sit, non impulsiva, nec encyclica, sed ad Sergium peculialiter directa in responsum privatæ cujusdam epistolæ, nec insuper debitis solemnitatibus celebrata, sed privato judicio composita, & forsan à Joanne Secretario Honorii compilata, ut suspicatur, nec temere, Anastasius Bibliothecarius, & nos Scrutinio octavo breviter ponderabimus. Maneat interim irrefragabile, Romanam sedem nullatenus errare posse in fide; quod unica tantùm satis erit Agathonis auctoritate probasse, in suâ divina epistolâ ad Constantinum pluries citata: *Hæc Apostolica Christi Ecclesia* (scilicet Romana, cui ipse meritò præerat) *per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erravisse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio nascentis fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata sinetenus manet.* Quibus aureis verbis libentissimè Scrutinium absolvissem, nisi mihi notatu dignum occurrisset, istis scilicet Agathonis, similibúsque aliorum Pontificum

Scrutin. V.

SCRUTIN. VI.

auctoritatibus, esse nobis utendum maturo & prudenti judicio, eas scilicet minimè extorquentes ad aliqua comprobanda, quæ nullatenus necessaria sunt ad servandum illibatum cathedræ Romanæ splendorem: secus enim si fiat, & veritatem turpiter prodemus, & justam irrisionis materiem hæreticis præbebimus, pluráque, quàm par est, probare volentes, nihil prorsus conficiemus.

SCRUTINIUM VI.

In quo probabiliter ostenditur, Honorium fuisse de facto damnatum à sancta sexta Synodo.

SUMMA SCRUTINII.

§. 1. *Expenduntur præcipuæ auctorum sententiæ in controversia celebri Honoriana.*

§. 2. *Probatur ex antiquorum sensu fuisse Honorium à sexta Synodo damnatum.*

§. 3. *Aliquot inde solvuntur objectiones.*

Prima petita ex silentio Legatorum Agathonis in damnatione Honorii. SCRUTIN. VI.

§. 4. *Altera desumpta ex consuetudine Græcorum in adulterandis Conciliis & Patribus.*

§. 5. *Tertia deprompta ex aliquibus auctoritatibus Pontificum, quibus tamen nil aliud evincitur, quàm infallibilitas sedis Romanæ.*

§. 6. *Reliquas objectiones triplici de causa omittentes, Scrutinium absolvimus.*

VELLEM ego in hoc sexto Scrutinio, potiùs alios audire dicentes, quam aliquid de meo promere. In bivio namque constitutus iter arduum & periculosum intueor utrinque. Etenim si Honorium ab anathemate vindicarim, primo aspectu sextam Synodum vel everto, vel enervo, toti licèt venerabilem antiquitati: si tamen ex opposito legitimam hanc & castam agnoverim, detrahere videbor majestati Pontificum, connumerans inter Monothelitas Honorium. Consulam utrisque quantum potero; sique dicendis non acquie-

Quàm sit difficile in hac controversia judicium.

SCRUTIN. VI.

veris, adeas alios, qui tibi forsan apponent digestiora.

Sententia hæreticorum, & aliquorum etiam Catholicorũ.

§. 1. PLURIMA sunt, quæ obstinato labore adinvenit, hinc hæreticorum pravitas, hinc pietas Catholicorum, ut sese ab hisce difficultatum anfractibus non indecorè liberarent. Vox una singulis hæreticis est cum Magdeburgensibus & Forbesio, Honorium Pontificem in hæresim delapsum potuisse à sexta Synodo rejici ut hæreticum, & insuper de facto fuisse damnatum, ejusque dogmata in epistolis exposita, & canonicè fuisse conscripta, & flammis consignata, uti legitur in eadem Synodo act. 13. Hoc ipsum iter visi sunt arripuisse non ignobiles Catholici, quorum agmen agit Canus ardens Theologus in lib. 6. de locis: cui plurimùm favent duo celebres alii, videlicet Franciscus Torrensis in lib. de 6. 7. & 8. Synodo, ac Bañez secundâ secundæ quæstione 1. art. 10. quibus etiam accedit P. Franciscus Combefis in Historia hæresis Monotheliticæ, ubi amarulenta verba & plena livore in Pighium & Baronium emittit inurbanè temeréque. In eo verò posteriores hi discre-

pant à prioribus, quòd illi ex Honoriano errore, quemadmodum ex lapsu Marcellini & Liberii, Romanæ sedis inconcussam auctoritatem arietare conantur; isti verò non sedem, sed privatam personam solummodo errantem agnoscunt, profitentes apertè futurum numquam, ut portæ inferi adversus sedem prævaleant. SCRUTIN. V.I.

Non impetu minori assurgunt ex opposito, zelo circumquaque muniti, plures alii defensores Honorii, æquè sibi pernicioſum arbitrantes proscriptionem erroremque sedis Romanæ, ac personæ in illa sedentis. In angustiis verò constituti sibi consulunt uniquique, & aliud iter, & aliud arripiunt pro libito. Nonnulli cum Cardinali Turrecremata lib. 2. de Eccles. cap. 93. de errore in facto sugillant Concilium, perinde ac *ex mala, falsa & sinistra informatione* in Honorium contorserit anathemata. Quam viam ingressus pariter est Stapletonus in opere de primo subjecto potestatis Apostolicæ controv. 3. quæstione 4. inquiens ibi fundamentum Honorianæ damnationis temporis beneficio apparuisse satis debile & infir- *Opinio Turrecremata & Stapletoni.*

SCRUTIN. VI.

mum, ac proinde constitisse non omnino justè Patres sextæ Synodi illum anathematizasse.

Quid in hoc asserat Pighius.

Non defuit Albertus Pighius magni nominis auctor, qui *licèt* (loquar cum Torrensi) *multa alia egerit in vita præclarè, multa scripserit sapienter, cum multa laude excesserit è vivis:* in hac tamen controversia singularem iniens viam, magno Ecclesiæ detrimento deviavit à recto tramite veritatis, evertens penitus auctoritatem actorum sextæ Synodi, quæ communiter circumferuntur, quam omnibus retroactis sæculis coluit ut sanctam pietas orthodoxorum; eamque ut commentitiam & celebratam contra jura canonum à Græculo, ut inquit, Imperatore, & glorioſissimis Laicis judicibus, jactat inopportunè: in hoc imitatus Philippicum Bardanem, qui Conciliabulum coëgit, & artes omnes adhibuit, juxta dicta Scrut. 3. ut eandem sextam Synodum redigeret in nihilum. Quam ob rem consultius habuisset, opinor, si tres Pighius quos insumpsit dies in examinanda causa Honorii non insumpsisset, vel saltem longè plures impendisset, ut maturiori calculo rem

decerneret: quod, me judice, præstitisset, si non adeo fisus egregiis suis dotibus acta sextæ Synodi & judicia antiquitatis circa illam evolvisset attentius. SCRUTIN. VI.

Communior tamen orthodoxorum via, & recentioribus plausibilior illa est, ut sanctam quidem sextam Synodum, ejusque auctoritatem venerentur, quod attinet ad dogmata, & Monotheliſmi proscriptionem: eam verò non castam & illibatam, sed per Monothelitas violatam & prostitutam agnoscant in facto Honorii, existimantes omnino alienum fuisse à recta mente Patrum Concilii supremum orbis Pontificem proscribere. Quod ut evincant, piissima proferunt argumenta, ac undique zelum redolentia & religionem, duobus præsertim, iisque maximis, illecti præmiis, hoc est, vindicatione tanti Pastoris ab hæresis nota, & obnubilatione Concilii apud totam antiquitatem venerabilis. Omnium primi, quos sciam, viam hanc arripuere duo purpurati Cardines Ecclesiæ, quorum nomina summa prosequor veneratione, quorum monumenta tot elaborata sudoribus in utilitatem Orthodoxiæ indefinenter admiror. Hi *Sententia communior Baronii, Bellarmini, &c.*

SCRUTIN. V I. sunt Cardinalis Baronius, Ecclesiasticæ parens Historiæ, in octavo tomo suorum Annalium fusissimè ; & Cardinalis Bellarminus, malleus hæreticorum, lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 11. pro qua etiam sententia citari video Cardinalem Sirletum. Ubi tamen hoc asserat, mihi nondum licuit in fonte prospicere. Hosce duces insequuntur, agmine facto, Jodocus Coccius tom. 2. Severinus Binius in notis ad sextam Synodum, Joannes Azorius part. 2. Instit. moral. lib. 5. cap. 5. cæterique passim recentiores, quorum aliquibus familiare est speciosis & prurientibus aures allici conjecturis, zeloque magis indulgere, quàm rationibus.

Sensus Gravinæ & aliorum.

Non defuere demum quidam alii, qui cum Gravina tom. 4. parte secunda quæst. 2. art. 4. object. 25. dum quaslibet opiniones, licèt invicem oppositas, probabiles reddere conantur, solventes utrinque difficultates, nihil, me judice, conficiunt, & cùm plurima probare studeant, nihil probant omnino.

Tot ego constitutus inter doctissimorum virorum opiniones, clauderem hîc libenter Scrutinium, ne quicquam pe-

nitus cogerer exhibere. Etenim agnosco, nil à me posse dici, quod non patiatur detractores, ac eos præsertim, quos nuper indicavi zelo magis inniti, quàm rationibus. Ut ut sit, proferam quæ sentio, subjiciendo semper quà dicta, quà dicenda, sapientissimorum hominum calculo. Causam igitur Honorii sic breviter conficio. SCRUTIN. VI.

Mihi sum omnino persuasus ob dicta fusiùs Scrutinio superiori, doctrinam epistolarum Honorii Apostolicam esse & Orthodoxam: unde firmiter assero, Honorium in dogmate nullatenus erraſſe, nec ut hæreticum damnari unquam potuisse. Non minùs autem mihi conscius sum, Honorium in facto multipliciter lapsum esse, cujus nævos & errores in duobus sequentibus Scrutiniis aperiemus, ea præsertim ex parte, quæ tangit œconomiam silendi, quam Honorius communem habuit cum Sergio, adeo exosam priscis illis Catholicis in rebus ad fidem concernentibus; præcipuè verò in hoc puncto duplicis in Christo voluntatis & operationis, à quo pendebat firmitas epistolarum sancti Leonis, & Concilii Chalcedonensis. *Sententia nostra.*

SCRUTIN. VI. Quibus omnibus Honorii lapsibus in unum conflatis, satis probabiliter ostendemus Scrut. 7. & 8. potuisse Honorium nec temere, nec illegitimè à Patribus sextæ Synodi damnari : non, inquam, ut hæreticum, sed ut hæreticæ flammæ fomentum præbentem, pabulumque; quæ duo longè diversa sunt, licèt immeritò confundantur.

In controversiis non est utendum argutiis metaphysicis.

§. 2. EUNDEM verò fuisse rursus ab iisdem Patribus de facto damnatum, (salvâ tamen semper & incolumi ejusdem Orthodoxiâ) non exhorreo concedere; quin ipsum hoc evenisse, sic evinco probabiliter. Priùs tamen observarim, alienum prorsus esse à rectæ regula & ordine procedendi, in rebus istis, quas vocant, de facto, metaphysicis potiùs uti speculationibus & conjecturis, quàm antiquorum monumentis, si præsertim hæc abundè superstint; negando contigisse, quæcumque non cohæreant præconcepto affectui, utque vera protinus admittendo, quæ faveant intentui, licèt omnino nova, & nullis innixa veterum fundamentis. Ecquis enim è numero prudentum nobiscum non fatebitur in rebus hisce controver-

sis degenerare non rarò in levitates pueriles, ea quæ maxima cum laude subtiliter efferuntur in Scholis Philosophorum ? Quam ob rem cùm nos in omnibus omnino exemplaribus sextæ Synodi, & Græcis, & Latinis, tum editis, tum manuscriptis, quà veteribus, quà recentibus, Honorii damnationem non semel, non bis, sed pluries ac multoties, nec unico tantùm verbo, sed longissimis periodis exaratam intueamur: quo, quæso, fundamento tot labores inaniter insumemus & vigilias, ut Synodum hanc toti jam antiquitati castam & illibatam venditemus ut adulteram, ut prostitutam, perinde ac in ipsa nihil in Honorium actum fuerit ; sed postea à Theodoro Constantinopolitano, vel etiam ab aliis hæreticis ea singula, quæ spectant ad Honorium, fuerint ausu facrilego actibus ejusdem inserta ? Forsan ignoramus, aut etiam ignorare volumus, ab inani hoc zelo grande hæreticis ostium aperiri, ut satis apparenter eludant non tantùm ea, quæ in eadem sexta Synodo plurima afferuntur in honorem sedis Romanæ, verùm etiam quæ in reliquis generalibus Conciliis ad-

SCRUTIN. VI.

Fatemur honorium dãnatum à sexta Synodo.

Qua damna pariat zelus inanis.

SCRUTIN. VI. ducuntur, aut in hæresis damnationem, aut in defensionem Orthodoxiæ? Forsan ita nosmetipsos, ipsamque veritatem prodemus, ut hoc solum de Honorii proscriptione, licèt in tota prorsus antiquitate jam stabile, velimus in dubium revocari; cætera verò, quæ Sergium, Cyrum, aliosque respiciunt, ut omnino candida, firma, validaque retineri? Procul ab animis Orthodoxorum zelus hic veritati pernicioſus.

Sanctus Leo secundus in tribus epistolis damnat Honorium.

At hæc essent fortè tolerabilia, nisi ad ista longè pejora sequerentur incommoda. Si quippe hac via semel incesserimus, tres epistolas Leonis secundi oportet pessumdare, qui sextam Synodum, ut scribit Anastasius, suscepit, confirmavitque, in quibus & semel & bis & tertio invehitur acriter in Honorium, ut breviter ex ejusdem verbis expendimus Scrut. 3. Igitur & hasce tres epistolas ab hæreticis confictas esse, aut etiam ita turpiter violatas dixerimus, speciosis quibusdam illecti conjecturis, erutis præsertim ex inaccessis latebris chronologiæ, quam quisque pro cerebro sibi accommodat, & in qua à veritate deviare facillimum est, ne di-

cam quasi necessarium, quando res antiquissimas enucleamus? Ita est: & hasce tres Leonis epistolas enervant alii, alii evertunt; evertere parati, aut saltem enervare omnia prorsus volumina epistolarum Pontificum, si quidquam in illis adversus Honorium decerneretur. Quid in hominibus non efficit zelus vehemens, nec, me judice, necessarius! SCRUTIN. VI.

Quid de Honorio sentiendum antiquitas, & septima Synodus.

Verùm, ne videamur plus æquo nobis indulgere, consulamus monumenta antiquitatis, in illis inspecturi, an sextam Synodum corruptam agnoscant, qua parte damnat Honorium; an potiùs idipsum corroborent. Primus omnium occurrit Agatho Diaconus, scriba ejusdem sexti Concilii, in sua quadam peroratione, quam è Græco transtulit in Latinum & edidit P. Franciscus Combefis, ubi non obiter, sed exactè narrans res à Philippico gestas, ac præsertim Conciliabulum ab eo collectum adversus sextam Synodum, addit etiam, curasse pingendas Sergii Honoriique imagines, qui à sexta Synodo fuerant damnati. Verba verò Agathonis ista sunt, agens de Bardane: *Id præterea au-*

SCRUTIN. VI. *ctoritate decrevit, ut Sergii Honoriique, ac cæterorum pariter ab eadem sancta ac œcumenica Synodo ejectorum, ac anathemati subjectorum, nomina in sacra sanctissimarum Ecclesiarum diptycha præconio publico referrentur.* Si deinde consulamus sanctam septimam Synodum, quoties in illa inter Monothelitas reperietur Honorius? Tarasius Constantinopol. in sua synodica act. 3. ejusdem Concilii, unà cum Monothelitis illum reponit. In eadem Synodo eademque actione Theodorus Hierosolymitanus in sua pariter encyclica miscet cum Sergio, Paulo, cæterisque hæreticis Honorium. Epiphanius Diaconus in disputatione cum Georgio Episcopo Neocæsareæ ibidem act. 6. Monothelitas perstringens, & ipsum quoque perstringit Honorium. Quid ad ista veterum monumenta dixerimus? Unum profectò ex hisce tribus: scilicet aut Honorium de facto fuisse cum aliis Monothelitis in sexta Synodo damnatum, ut asserunt unanimiter tot Patres; aut septimam Synodum non paucioribus, quàm sexta, vulneribus fuisse ab hæreticis confossam; aut demum Patres septimi Concilii hanc sextæ Sy-

nodi violationem penitus ignorantes, bona fide connumeraſſe Pontificem Honorium inter Monothelitas; Legatóſque Romanos pingui inſcitia & ſomnolentia obductos permiſiſſe, ut toties Honorius innocens, nec à ſexta Synodo damnatus, inter hæreticos aſcriberetur. Primum mihi libens vendicaverim. Alterutrum è poſtremis ſibi ſumant Adverſarii: tu, Lector, interim judica, quis noſtrûm propiùs accedat veritati. SCRUTIN. VI.

Quid de Honorii damnatione in octava Synodo.

Progrediamur ulteriùs, & ad octavam Synodum oculos attentè dirigamus. In actione ſeptima hujus Synodi Adrianus II. Pontifex, ſic loquitur inter alia: *Licèt Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum; ſciendum tamen eſt, quòd fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi.* Quam Adriani manifeſtam auctoritatem an poſſint apparenter eludere, penitus ignoro: non enim quis poterit ad familiares latebras violationis effugere. Nam Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfatione ad hanc octavam Synodum, diligenter adnotat, quænam in Synodis corruperit Orientalium hæreticorum le-

SCRUTIN. VI.

vitas & petulantia: & tamen quod attinet ad corruptionem 6. 7. & 8. Synodi in facto Honorii, ne quidem olfacit violationem; quinimmo & semel & bis proscriptionem ejusdem confirmat, videlicet in Præfatione ad sua Collectanea ad Marinum Diaconum, ubi ait: *Licèt huic*, (id est, Honorio) *sexta sancta Synodus quasi hæretico anathema dixerit.* Et in Libro Pontificali, qui communiter eidem consignatur, in Leone II. *Hic*, inquit, *suscepit sanctam sextam Synodum, &c. in qua condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus & Petrus, &c.* Viden, Lector, quàm apertè faveat tota prorsus antiquitas asserentibus Honorium à sexta Synodo damnatum fuisse?

Subscribunt damnationi plures antiqui Patres.

His insuper adjicerem, nisi prolixitas operis animum deterreret, quamplures celebres viros, eósque non admodum remotos à sexta Synodo, qui pariter affirmant damnationem inflictam Honorio, cùm illum reponant ubique inter reliquos Monothelitas. Adducerem, inquam, Bedam lib. de sex mundi ætatibus, & rursus, ni malè memini, in suo Martyrologio, quibus in locis semel

mel & bis connumerat Honorium inter damnatos à sexta Synodo Monothelitas. Afferrem Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum, qui in sua synodica ad Leonem III. Papam, Honorium perstringit cum reliquis Monothelitis: atque iterum in suo antirrhetico secundo de sex Synodis ponit in sexta Honorium prope Sergium & Macarium, quorum omnium admittit proscriptionem. His etiam adderem Humbertum Cardinalem Silvæ Candidæ, qui in libro contra Nicetam eadem reponit quæ nos asserimus, cujus verba produximus in Scrut. 3. Quinimmo non exhorrerem adducere antiquos hæreticos in testes hujus veritatis, quocirca proferrem Photium in libello de septem Synodis, Gregorium Episcopum Neocæsariensem hæreticum in disputatione cum Epiphanio Diacono catholico in septima Synodo act. 6. necnon pseudo-septimam Synodum per Constantinum Copronymum habitam, cujus acta leguntur in vera septima Synodo act. 6. & demum Psellum in carmine de septem Synodis, qui licèt hæretici sint & hostes Ecclesiæ Romanæ, non ideo

SCRUTIN. VI.

tamen in hac facti controversia vi sua carent, cùm iisdem assentiatur magna cohors Patrum orthodoxorum.

Agnoscunt Honorii damnationem plures Recentes.

Si verò ad recentioris memoriæ Historicos & Controversistas sermonem converterem, nimis in longum effluereret oratio. Oporteret enim adducere Adonem Viennensem, Marianum Scotum, Cedrenum, Turrecrematam, Stapletonum, Turrianum, Pighium, aliósque quamplures: qui omnes, licèt in aliquibus invicem digladientur, unanimiter affirmant damnationem Honorii per sextam Synodum inflictam, ac proinde reddunt illam satis probabilem; si verò cum superioribus adminiculis adjungantur, eam efficiunt probabilissimam.

Superfluum est omnes solvere Adversariorum objectiones.

Hæc mihi nunc occurrunt, ut admittere non exhorream Honorii damnationem, utque mihi satis suadeam, nullo modo fuisse sextam Synodum violatam ab hæreticis in ejusdem proscriptione. Non autem fert animus omnes hîc examinandi conjecturas, quas immenso labore & exiguo fructu adinvenit zelus Orthodoxorum, ut evincerent violationem sextæ Synodi; tum quia

volumen traheretur in immensum; tum etiam quia non id arbitror necessarium ad præconceptum finem, quem hoc in Opusculo maximè intendimus: utroque namque modo salvatur sufficientissimè splendor & infallibilitas Ecclesiæ Romanæ, ut breviter aperietur in fine hujusce Scrutinii. Nihilominus aliquas earum in Operis congressu jam donavimus solutiones, & quasdam alias in sequentibus solvemus. Unam hîc aut alteram ex præcipuis arbitror opportunum adnectendam, quarum solutione quà dicta, quà dicenda confirmentur.

§. 3. ARBITRANTUR unanimiter Recentiores, se violationem sextæ Synodi ex eo manifestè deprehendere, quòd in ipso sexto Concilio ne verbum quidem à Legatis habeatur prolatum in defensionem Honorii. Ecquis enim, inquiunt, crediderit Legatos Agathonis ita vigiles in levioribus, sic in Honorii facto torpuisse, ut omnino silentes ejus causam proderent, & famam connivere nt maculari? Cùm præsertim, ut habetur in epistola Agathonis, iidem Legati determinatam facultatem susceperint nihil innovandi, mutandive, sed

Prima Recentiorum objectio pro violatione sex. Synodi.

SCRUTIN. VI.

solùm tuendi, quæ Romana jam sedes decreverat. Unde cùm nec sanctus Martinus in suo Concilio Lateranensi, nec sanctus Agatho in sua synodica, damnantes personaliter Monothelitas, Honorium unquam nominarint, incredibile prorsus est, ut fuerit Honorius iis præsentibus, nec reluctantibus, damnatus, cùm de hoc mandatum nullum receperint ab Agathone.

Quænam incredibilia proponunt Adversarii.

Fateor ingenuè, id esse primo aspectu difficile creditu : verùm re hac intimiùs inspecta, longè difficiliora nobis apponunt deglutienda iidem Adversarii. Demus enim, ut opinantur, fuisse sextam Synodum corruptam, ejúsque acta casta & illibata nullam de Honorio damnationem prætulisse; demus insuper eam à Theodoro, vel etiam ab aliis Monothelitis fuisse violatam paulò post celebrationem sextæ Synodi ; demus hæc, demus & alia, quantacunque voluerint : ecquis inde crediderit, Orientis Episcopos orthodoxos, & Constantinum ipsum Pogonatum, Romanæ sedi obsequentem, & Constantino Magno non degenerem, tali tantóque laborasse lethargo, ut sinerent suos ob

oculos sextam Synodum à Theodoro vel Monothelitis corrumpi, ob quam ipsi tot labores obierant & velitationes; nec verbum ullum prorsus emisisse, ut tanta fraus & hæreticorum calumnia detegeretur? Ecquis insuper sibi persuadeat, Romanam sedem non nisi post violatam Synodum, ejus acta recepisse, cùm Legati, qui Concilio interfuêre, quorum unus Joannes Diaconus paulò pòst Romanam cathedram obtinuit, codicem actorum castum & legitimum secum attulerint? Si igitur acta sincera Romam devenêre, ecquis credet, Romanos Pontifices ita torpuisse, ut inde corruptis actis in re tam gravi, & quæ tantùm ad ipsos attinebant, prorsus acquieverint, nec emiserint voculam in evictionem tantæ impostoræ? Quis ulteriùs è prudentibus credet, Honorium à sexta Synodo non fuisse damnatum cum Monothelitis, & tamen Legatos Pontifices in septima & octava Synodo omnino silùisse, dum Honorii memoria in encyclicis Episcoporum, iteratis vicibus proscindebatur? Quisve demum admittat Anastasium Bibliothecarium, virum eruditissimum, qui in Præfatione SCRUTIN. VI.

SCRUTIN. VI. ad octavam Synodum, præcipuas aperit violationes Conciliorum, in hac gravissima corruptione, & quæ plurimùm ad ipsum, utpote defensorem Romanorum Pontificum, spectabat, omnino dormivisse? Hæc & alia non minora prorsus incredibilia nobis exhibent Adversarii credenda, & postmodum acriter conqueruntur, quòd illis incredibilia proponamus, videlicet Honorium fuisse damnatum, & in re tam gravi siluisse Legatos, qui non rarò fuerant in levioribus vociferati. Mihi sanè non est creditu difficilius, Legatos Agathonis omnino conniviſſe, saltem ad utilitatem Ecclesiæ, ut Honorius, qui validum præbuerat damnationis fundamentum, damnaretur. cum Monothelitis; quàm Honorium minimè damnatum in Synodo per neminem ex Pontificibus, ex antiquis Patribus, ex Historicis fuisse defensum, quod ad ejus attinet proscriptionem; sed potiùs per Leonem II. per Adrianum itidem II. per Anastasium, Bedam, aliósque fuisse confirmatam damnationem ejusdem. Nec est magis arduum, ut credam Legatos sextæ Synodi tacuisse, dum Ho-

norius damnabatur, quàm Legatos septimæ & octavæ pariter siluisse, cùm Honorius innocens, nec damnatus, inter Monothelitas passim reponeretur. SCRUTIN. VI.

Ut verò difficultatem, quam in hoc experiuntur Adversarii, ex parte minuamus, non opinor improbabile, Legatos Agathonis unà cum Episcopis Concilii in peculiaribus congressibus causam Honorii evolvisse, & inde rem digestam detulisse in Concilium, in quo satisfuerit Honorianas epistolas legendo percurrere, & illas conferre cum suis exemplaribus. Non enim quis dixerit, nisi ineptè, omnia prorsus, quæ agitantur pro Conciliis, inseri in actis publicis eorundem, cùm multa fiant per congregationes & collationes, quæ ab actis Conciliorum diversa sunt. Et quidem, ut ostendimus in primo Scrutinio, summè celebris erat apud Orientales Sergii memoria, & maxima fuerat viventis auctoritas; & tamen nec in Concilio Lateranensi sub Martino, nec in sexta Synodo profertur ab aliquo vel brevis vocula in ejusdem defensionem; sed solùm prolatis ejusdem epistolis, ex illis damnatus est ut hæreticus: cùm

Legati privatim evolverunt causam Honorii.

Nemo ex Orientalibus profert verbum pro Sergio.

SCRUTIN. VI. tamen non minùs essent acres Orientis Episcopi in vindicandis Patriarchis Constantinopolitanis, quàm Legati Pontificis in defendendis Pontificibus ac Romanis Episcopis.

Conjectura non contemnenda pro silentio Legatorum.

Hîc insuper non ineptè quis asseuerit, Legatos Agathonis datâ operâ siluisse, dum Honorius damnabatur, ut hac scilicet œconomiâ opprobria minuerentur Honorio : quippe cùm illi plenè agnouissent pacem & unionem, quam ipsi unicè affectabant, nullo pacto reddendam Ecclesiæ, nisi conniuissent, ut damnatis Patriarchis Constantinopolitanis, simul & ipse damnaretur Honorius, quem illi fautorem, nec omnino temere, jactabant ubique ; maluerunt penitus silere, ut hac arte quodammodo refunderent totam damnationis inuidiam in Orientales, quàm inaniter suscipere defensionem ejusdem, certi nimirum de subscribenda tandem damnatione. Unde ecquis non videt futurum longè grauius Honorii dedecus, si reluctantibus Legatis & obnitentibus adhuc haberetur damnatus, quàm Legatis omnino tacentibus, nec voculam emittentibus, cùm ille proscriberetur :

nam ex isto Legatorum silentio semper oriri potest apparens suspicio, damnationem Honorii quasi præcipitanter, nec examine prævio sufficienti fuisse decretam; quod plurimum minuit Honorii contumelias, quas non minùs augeret inutilis Legatorum defensio, & post hanc damnatio. SCRUTIN. VI.

Si verò nostræ huic conjecturæ nullatenus acquiescant ipsi illi Adversarii, qui conjecturis ut plurimùm vescuntur, eandémque ut nimis metaphysicam rejiciant; tunc ego proponam eorum considerationi, Legatos Constantinopolim missos ob temporum deplorabilium infelicitatem non fuisse adeo celebres in doctrina & rebus agendis, ut omnino debeant abhorrere ab infligenda iisdem aliqua imprudentiæ notula in facto Honorii. (si tamen dici potest imprudentia, quod ipsi fortè in utilitatem Ecclesiæ, & ad vitanda incommoda pejora fecerunt) Profectò sanctus Agatho in sua synodica ad Constantinum non admodum extollit Legatorum excellentiam, quam potiùs videtur enervare, inquiens, *se inquisisse personas, quales secundùm temporis hujus*

Legati Agathonis non admodum excellunt ob temporum injuriam.

SCRUTIN. VI. *defectus, ac servilis provinciæ qualitatem poterant inveniri pro obedientiæ satisfactione.* Et paulò pòst eosdem excusans ait: *Nam apud homines in medio gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum cum summa hæsitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia?* Quod ipsum adhuc clariùs exprimitur in epistola Concilii Romani sub eodem Agathone ad Constantinum directa, ubi sic: *Igitur quia tranquillissimæ fortitudinis vestræ clementia personas de Episcopali munere dirigi jussit vitâ atque scientiâ omnium Scripturarum præditas: de vitæ quidem puritate, quamvis quisquam munditer vixerit, confidere tamen non præsumit: perfecta verò scientia, si ad veræ pietatis scientiam redigatur, solius est veritatis cognitio; si ad eloquentiam sæcularem, non æstimamus quenquam temporibus nostris reperiri posse, qui de summitate scientiæ glorietur.* Cujusce rei eandem, quam Agatho, reddunt rationem: *Quandoquidem in nostris regionibus diversarum gentium quotidie æstuat furor, nunc confligendo, nunc discurrendo ac rapiendo: unde tota vita nostra sollicitudinibus plena est, &c.* His ergo positis,

non abnuamus fateri, Legatos Agathonis, quos ipse Pontifex *homines idiotas* appellat, eo silentio aliquid humanum passos esse, cùm saltem agere debuissent, ut mitioribus censuris ageretur in Honorium. Hoc tamen ipsum factum esse crediderim, specialibus divinæ Providentiæ legibus ita decernentibus. Decuit enim ut Honorius ille, qui silendo tot mala pepererat Ecclesiæ, medio Legatorum silentio, silentii pœnas erogaret; quique per aliqualem ignorantiam & aliqualem Legatorum imprudentiam evaderet anathema pro fratrum salute, sicque suæ ignorantiæ & imprudentiæ vindicem experiretur ignorantiam ipsam & imprudentiam.

SCRUTIN. VI. *Mirabilis effectus divinæ Providentiæ.*

Quod autem asserunt Adversarii, Agathonem in sua synodica iisdem Legatis *tantummodo licentiam, sive auctoritatem dedisse, simpliciter satisfaciendi in quantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil proferre præsumant, augere, minuere, vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ sedis, ut à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus institutam, simpliciter enarrare:* libenter ego concesserim; scilicet fuisse Legatis restrictam potestatem aliquid in-

Circa quæ restricta fuerit ab Agathone potestas Legatis.

SCRUTIN. VI. novandi, augendi, mutandive circa dogmata, cùm adhuc esset recens in Agathonis memoria, Romanos Apocrisiarios, Petri Constantinopolitani artibus illectos, adversus fidem insurrexisse, uti Scrut. 4. observavimus. Non autem existimo iisdem fuisse limitatam facultatem damnandi personaliter alios, quos Romani Pontifices nondum damnassent: alioquin quomodo salvabimus damnationem Macarii, Stephani, Polychronii, qui non ante sextam Synodum damnati leguntur? Unde Adrianus secundus in octava Synodo act. 7. hanc facultatem damnandi Honorium fuisse traditam Patribus Concilii sexti, ipsisque Legatis, fatetur satis apertè. Cùm enim dixisset, quòd Honorio post mortem ab Orientalibus anathema dictum fuisset, subdit: *Quamvis nec ibi, nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ sedis Pontificis præcessisset auctoritas.* Hanc autem auctoritatem sive facultatem damnandi Honorium, quam Adrianus affirmat traditam Legatis, existimarim concessam iisdem, non palam in synodica,

An tradita Legatis facultas damnandi Honorium.

ut Canus sensit, sed privatim in speSCRUTIN. cialibus mandatis, & Legatorum inVI. structionibus, ut assolet fieri in negotiis odiosis; ne si eam publicè concederet, ex hac ipsa acriùs Orientales, præcipuéque Macarius in Romanum Pontificem debaccharetur. Nisi fortassis dicere velimus eam includi in propositione quadam generica, quæ habetur in epistola Synodi Romanæ data ad Constantinum, ubi postquam Patres & Agatho enarrassent errores Monothelitarum, inquiunt: *Quorum auctores extiterunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus & Paulus Constantinopolitani, vel quivis eis consentanei usque in finem demonstrati sunt.* Quibus postremis verbis videtur includi Petrus, vel etiam Honorius, & si qui forent alii aut Monothelitæ, aut Monothelitarum fautores.

Nec instent, nunquam in sexta Synodo constitisse, Honorium *usque in finem* perseveravisse in opinione semel concepta; quod tamen ex Concilii Romani verbis nuper adductis erat necessarium, ut posset legitimè damnari. Hoc enim si objecerint, reponam, hæc

Solvitur quædam instantia Adversariorum.

SCRUTIN. VI. omnia conſtitiſſe in privatis congregationibus. Si verò huic noſtræ reſponſioni non acquieverint, quando ipſi nobis patefacient, quonam ſecretario Concilii Lateranenſis conſtiterit, Sergium, Cyrum, alioſque in ea Synodo damnatos perſeveraſſe in ebibito ſemel errore tunc & ipſis nos aperiemus, quanam actione Concilii VI. oſtendatur, Honorium *uſque in finem* adhæſiſſe ſuæ opinioni per epiſtolas expreſſæ. Dum igitur in id incumbunt, ut ea quæ juſtè petimus, nobis aperiant, nos aliam enervemus, eorumdem objectionem.

Alia objectio Recentiorum.

§. 4. NIHIL eſt aliquibus Recentioribus in hac aliiſque controverſiis familiarius, quàm Græcos generaliter perſtringere, tanquam ſanctorum Patrum violatores & corruptores Synodorum: & quia eorum aliquos id aliquando feciſſe compertum eſt, idcirco ad hæc effugia ſe conferunt, quandocunque ipſis aliquid occurrit, quod præconceptæ non congruat opinioni.

Solvitur hæc objectio.

Hoc ego genus arguendi ſummo ſemper ſum odio proſecutus: nihil enim mihi occurrit inopportunius, quàm ex una vel altera aut Patrum, aut Con-

ciliorum violatione, omnia prorsus ad libitum esse violata, confingere; nilque mihi apparet indecentius, quàm Orientalem Ecclesiam, vel ipsos Orientis Episcopos sugillare, eo quòd aliqui inter ipsos hæretici Concilia & Patres aliquando corruperint: sicut nemo Latinorum contumelias approbaret contortas in Occidentalem Ecclesiam, seu Patres Occidentis, eo prætextu, quòd Calvinus, Lutherus, cæterique Occidentales hæretici non tantùm Patrum sententias & dogmata Conciliorum, verùm etiam verbum Dei scriptum penè integrum corrumpentes creberrimè dilacerarint. SCRUTIN. V I.

Placet ulteriùs Adversariorum telum in ipsos auctores contorquere, & suis eorundem armis adversus eos præliari. Do libens, à Græcis hæreticis aliquando Synodos & Patres fuisse corruptos, dummodo & ipsi mihi dent, quòd hujusmodi corruptiones, præsertim in rebus gravissimis, non multum temporis à violatione detexerit pietas & vigilantia Orthodoxorum. Si verò quæ justè petimus, dare contumaciter renuerint, hac nos extorquebimus inductione. Vix *Retorquetur Adversariorum argumentum.*

SCRUTIN. V. I.

Semper detecta sunt violationes Patrum & Conciliorum.

enim Græculi quidam canonem tertium, seu veriùs quintum, addiderunt Concilio generali secundo in favorem sedis Constantinopolitanæ, quòd statim per Latinos, ac præsertim per sanctum Leonem primum detecta fuit violatio, ut meridiano clariùs eluceſcit. Si rursus in quinta Synodo per aliquos ex hæreticis inserti sunt actis synodicis quidam quaterniones, continentes epistolas fictas Vigilii Papæ ad Justinianum, & Mennæ ad Vigilium, non multùm ex tunc temporis per sanctum Maximum Abbatem in Dialogo cum Pyrrho, perque alios plurimos, ac per ipsam sextam Synodum denudata fuit impostura: ad quod etiam non defuerunt casti codices & illibati, ut scilicet utrisque collatis invicem fraus corrumpentium appareret intimiùs. Vix à Cyro Patriarcha Alexandriæ in Conciliabulo Alexandrino violata fuit auctoritas Dionysii, uti ponderavimus Scrut. 2. vixque abjecta voce *novæ* voluntatis substituerat *unam* voluntatem; quòd per sanctum Martinum in Concil. Later. & per sanctum Joannem Damascenum in lib. de duabus voluntatibus patefacta fuit hujusmodi calumnia,

lumnia, ut ibidem obſervavimus. Si Petrus Conſtantinopolitanus & Macarius Antiochenus in ſuis epiſtolis auctoritates Patrum ſacrilegè detruncarunt, in ſexta Synodo manifeſtata fuit utrorumque temeritas, adeo ut ob hanc cauſam violationis perlegere noluerint ſynodicam Petri, ut nos etiam Scrut. 3. notavimus; ipſumque Macarium coëgerint ore proprio confiteri, ſe ideo corrupiſſe Patrum ſententias, ut ſaltem fraudulenter errores ſemel conceptos tueretur. Et tandem, ut alia multa præteream, vix hæretici Græci. favore Imperatoris Juſtiniani junioris, & Callinici (vel Pauli, ut placet aliis) Patriarchæ Conſtantinopolitani, centum & ampliùs canones emiſerunt Quiniſextæ Synodi prorſus illegitimæ: cúmque eos vellent venditare ut canones legitimos quinti & ſexti Concilii, maxima celeritate aperta fuit tanta calumnia, obnitentibus acriter Orthodoxis, quos inter obſtitere Patres octavæ Synodi, necnon Anaſtaſius Bibliothecarius in ſua Præfatione ad eandem Synodum, & in alia pariter Præfatione ad ſua Collectanea, & cum Anaſtaſio Humbertus Cardinalis Silvæ Can- SCRUTIN. VI.

SCRUTIN. VI.

dictæ in libro contra Nicetam, aliique. Cùm hæc igitur ita sint, uti sunt omnino, patefaciant nobis Adversarii, vel unica saltem antiquorum auctoritate, quandonam, & à quibus corrupta fuerit sexta Synodus in facto Honorii; & tunc iisdem fortassis acquiescemus. Proferant aliquem ex Pontificibus, ex Patribus, ex Historicis antiquis, qui in re tam gravi, & adeo, ut opinantur, indigna Romanæ sedi, tantam in Honorii favorem detegant impostaram. Quòd si hæc præstare non valeant, uti verè non valent, corruit hæc secunda eorum objectio petita ex aliis corruptionibus Synodorum.

Nullus antiquorum prodit violationē sextæ Synodi in facto Honorii.

Tertium argumentum Recentiorū.

§. 5. NEC satis est ad eam fulciendam tertium addere fundamentum, quò totis artibus conantur suadere, innumeris suffulti Patrum genericis auctoritatibus, Honorium utpote Romanum Papam & Ecclesiæ caput, non potuisse labi in errorem, nec, quod consequens est, potuisse damnari. Vim illi faciunt non vulgarem in synodica Agathonis, quam sancta sexta Synodus act. 8. & 18. agnoscit *dictatam à Spiritu sancto*; addens insuper, *Petrum ipsum per os Agathonis*

fuisse locutum. In hac ergo epistola cùm enumerasset Agatho Monothelitas hæreticos, subdit: *Quis tantæ cæcitatis errores non abominetur? Eximenda proinde, ac summis tonatibus cum Dei præsidio liberanda est sancta Dei Ecclesia de talium Doctorum erroribus, ut Evangelicam, atque Apostolicam orthodoxæ fidei rectitudinem servet, quæ fundata est super firmam petram hujus beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiæ, quæ ejus gratiâ atque præsidio ab omni errore illibata permanet.* Quam eandem in fide constantiam non tantum Romanæ sedi, verùm etiam Romanis Episcopis assignans, sic Imperatorem alloquitur: *Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum suos fratres admonuit; quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse, cunctis est cognitum, &c. væ enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quam illi sinceriter prædicarunt, prædicare neglexero, &c.* Quibus aliisque plurimis Pontificum auctoritatibus conantur Honorium absolvere ab omni prorsus errore, & consequenter à qua-

SCRUTIN. VI.

SCRUTIN. VI. cunque damnatione, quæ, ut opinantur, non nisi temere, & contra definitiones Pontificum, prolata fuisset: quod de Synodo sancta non est proferendum.

Hoc argumentum valet contra hæreticos, nil contra nos.

Hæc omnia peraptè possent afferri adversus hæreticos, qui fidem Petri sedisque Romanæ temere conantur enervare: vel etiam ad summum contra Catholicos illos, qui fatentur, Honorium in hæresim lapsum esse; licèt his probabilissimè non desint effugia ad explicandas aptè Pontificum sententias. Verùm adversus nos, qui mordicus asserimus, Honorium fuisse catholicum, nec unquam deviasse à recto tramite fidei, hæc quæ congerunt, inutilia sunt. Unde potiùs gratias illis maximas habemus, quòd his Agathonis aliorúmque auctoritatibus firmant validè quæ diximus Scrutinio superiori de Honorii orthodoxia, quæ sola ad summum probari potest per verba Agathonis.

Quæ sequantur incommoda ex mala interpretatione auctoritatũ.

Si verò non hisce contenti vellent ulteriùs evincere hujusmodi auctoritatibus, ut nullo prorsus lapsu, vel imprudentiæ, vel negligentiæ, conniventiæque Honorius erraverit; opus erit, ut in illos acriter obnitamur. Nam iisdem

ego auctoritatibus Agathonis potiori jure conficiam, quòd Marcellinus Papa adolens idolis impulsu Diocletiani & Maximiani Imperatorum; quòd Liberius communicans cum Arianis in damnatione Athanasii; quòd Cælestinus III. qui sentit matrimonium dissolvi, cùm alter conjugum in hæresim labitur, ut ait Innocentius III. in cap. Quanto. de divortio; quòd Joannes XXII. docens animas Sanctorum nonnisi post diem judicii Deum esse visuras, damnatorúmque nonnisi post idem tempus esse cruciandas: conficiam, inquam, quòd omnes hi Pontifices non tantùm non errarint, verùm etiam suis hisce doctrinis *confirmaverint fratres in fide;* ut ex Agathone violenter rapto inferunt Adversarii, quæ tamen à viro cordato & candidæ veritatis amante dici meritò non poterunt. Igitur, ut alibi pariter indicavi, hujusmodi Pontificum auctoritatibus æqua lance prudentique consilio nobis est utendum, ne si plura quàm par est adversus hæreticos probare velimus, præconcepto affectui nimis indulgentes, vel etiam nobis plus æquo adulantes, omnia prorsus evane- SCRUTIN. VI.

SCRUTIN. VI.

scant, & emeritæ materiam irrisionis præbeamus heterodoxis.

Quo sensu Pontifices nullo modo possint labi in errores.

Fateor equidem ut certissimum & inviolabile, Romanos Pontifices, pro quorum fidei firmitate Christus rogavit, non posse decernere, totique Ecclesiæ proponere aliquid credendum contrarium Orthodoxiæ: quin etiam arbitror æquè firmum & catholicum, neque posse eos, ut Ecclesiæ capita, quæ tota pulcra est, quæque rugam non patitur, non posse, inquam, uti dici solet, ex cathedra aliquid proponere Fidelibus omnibus dandum executioni, quod minimè deceat pietatem & Ecclesiæ Catholicæ sanctimoniam. Verùm, sicuti non officit Ecclesiastico candori, quòd nonnulli ex Pontificibus, vel saltem ex illis, qui per plura annorum curricula clavum Ecclesiasticæ naviculæ rexerunt, omnia prorsus munera summi Pontificis exequentes, elapsis retro sæculis, proh dolor! vitam egerint, loquar cum Baronio ad an. 912. *nefandam & pessimam*: quod ipse pluries piissimus vir fatetur, & meritò deplorat in suis Annalibus, inquiens inter alia loco citato: *Quæ tunc facies*

ſanctæ Romanæ Eccleſiæ? quàm fœdiſſima! SCRUTIN.
cùm Romæ dominarentur potentiſſimæ æquè VI.
ac ſordidiſſimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi, & quod auditu horrendum & infandum eſt, introducerentur in ſedem Petri earum amaſii pſeudo-Pontifices, &c. Ita pariter non eſt, cur adeo reluctemur affirmare, quoſdam Pontifices, non quidem ut Eccleſiæ capita, ſed ut homines, Doctoréſque peculiares, vel de facto lapſos, vel ſaltem labi potuiſſe in errorem fidei, ſuis peculiaribus definitionibus & opinionibus: quod ex verbis Adriani ſecundi in octava Synodo act. 7. cujus verba ſuperiùs in hoc eodem Scrutinio retulimus, apertè colligitur, & ex aliis etiam Pontificum ſententiis evinci poſſet, quas omitto conſulens brevitati. Multóque minùs abhorrere debemus confiteri, quoſdam Pontifices, ac præſertim Honorium, non quidem in errorem fidei, ſed in culpabilem negligentiam lapſos eſſe, qua ita ſe geſſerint cum hæreticis, ut faventes iiſdem confoverint hæreſes, & hac de cauſa damnari potuerint; nec ullum inde dedecus oritur Eccleſiæ. Quòd ſi mihi

SCRUTIN. VI. credere nolint Adversarii, credant saltem sancto Augustino in lib. de unico baptismo contra Petilianum, ubi sic: *Prorsus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Silvester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alii, quibus objiciunt pro sua defensione, quod volunt, nihil præjudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Nullo modo eorum innocentiâ coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur.*

Cur non examinentur conjecturæ Recentiorũ.

§. 6. NON hîc examinandæ deessent quamplurimæ conjecturæ, quas aliquando multis vigiliis adinvenêre Recentiores, ut in præmium laborum reportarent corruptionem sextæ Synodi, & illegitimitatem epistolarum Leonis: eas tamen omnes triplici de causa & *Prima ratio.* juvat & placet omittere. Primò quidem, quia libentissimè fateor absque ulla altercatione, non tantùm hanc sextam Synodum, verùm & omnes alias, temporum, hæreticorum & armorum injuriis levia, nec pauca passas esse detrimenta, aut quoad numerum Episcoporum & eorundem nomina, aut quoad chronologiam & circumstantias locorum, aut demum quoad alia minoris

notæ & considerationis : quod tamen in rebus gravissimis evenisse constanter negarim, ut brevi temporis intervallo detecta per Catholicos non fuerit auctorum depravatio. Secundò, quia similibus artibus everti possent omnes Synodi, cùm plurima reperiantur in illis depravata in levioribus circumstantiis, quæ minimè cohæreant, & cum aliis actis earundem Synodorum, & cum auctoritatibus celebrium Historicorum. Unde plurimùm miror, ipsos illos Adversarios, qui viriliter decertant, ut Honorium vindicent ab anathemate, alacres inde, promptéque concedere thurificationem Marcellini, quam certè possent argumentis retundere longè validioribus iis, quibus violationem sextæ Synodi conantur evincere. Si enim hujusmodi thurificatio negetur, non video quid adeo magnum evertatur, quod æquare possit auctoritatem trium Conciliorum generalium, sexti, septimi & octavi; duorum summorum Pontificum, Leonis secundi, & Adriani itidem secundi; trium Ecclesiæ Cardinalium, hoc est, Anastasii Bibliothecarii, Humberti Silvæ Candidæ, & Turre-

SCRUTIN. VI.

Secunda ratio.

Melius negarent Adversarii Marcellini thurificationem.

SCRUTIN. VI. crematæ; omniúmque prorsus veterum, & Patrum, & Historicorum, asserentium Honorii damnationem: cùm præsertim ad negandam Marcellini thurificationem nos excitet auctoritas sancti Augustini, qui illam refundit in hæreticorum calumnias; ad inducendam verò violationem Synodorum in facto Honorii, nullum prorsus invitet antiquitatis monumentum: sicque longè faciliùs crediderim thurificationem illam fuisse inventum Donatistarum, quàm Honorii damnationem calumnias Monothelitarum. Quamobrem cùm ipsis Recentioribus videatur alienum à veritate, thurificationem illam negare; mihi longè absurdius apparet de Honorii damnatione vel leviter suspicari. Quod assero de Marcellino, dici posset de Liberio, aliisque ferme omnibus, quæ in actis Conciliorum reperiuntur, de quibus tamen pro cerebro dubitare nil aliud est, quàm prodere veritatem, ut adulationi nimis indulgeamus. Tertiò demum, quia puto supervacaneum hasce conjecturas examinare, quæ præcipuum hujus Operis intentum non feriunt. Hæc enim duo potissimùm in-

Tertia ratio.

tendimus, scilicet ut Honorius & ejus epistolæ inter orthodoxas reponantur, & ut Ecclesiæ Romanæ candor maneat penitus illibatus. Unde si velint ipsi, Honorium non fuisse à Synodo damnatum, arbitrantes hoc in dedecus ejusdem sedis redundare, gratias illis maximas habemus, quòd hunc nostrum laborem egregiè confirment. Quia tamen agnoscimus, difficillimum esse Honorium ab anathemate liberare, contendimus adhuc, hæc omnia bene cohærere, videlicet & Honorii orthodoxiam, & ejusdem damnationem, & justitiam damnationis, & splendorem Ecclesiæ Romanæ. Unde non est cur tanto labore tantisque incommodis Honorium ab anathemate vindicare studeamus, cùm adhuc posita damnatione, nec ejus hæresis inferatur, nec sextæ Synodi injustitia: potuit enim ex aliis capitibus damnari Honorius, quin inde dedecus illum in sedem Petri refundatur. Hæc igitur capita damnationis in Honorium ut aperiamus, properemus ad SCRUTIN. VI.

SCRUTIN. VII.

SCRUTINIUM VII.

In quo examinatur justitia anathematis in Honorium inflicti.

SUMMA SCRUTINII.

§. 1. *Ut aperiatur jus anathematis in Honorium, indicatur, posse aliquem ex pluribus capitibus damnari in Synodis.*

§. 2. *Hoc posito, primo loco examinatur œconomia silendi, qua cum Monothelitis usus est Honorius; & acriter ex sensu Patrum reprehenditur.*

§. 3. *Quod ipsum ut clarius appareat, distinguitur duplex œconomia. Prima cadens supra personas.*

§. 4. *Altera verò supra dogmata fidei, quæ plurimùm invicem discernuntur.*

§. 5. *Solvuntur post hæc Recentiorum fundamenta pro œconomia Honorii. Primum, quia tempore ejusdem nulla erat Ecclesiæ definitio circa duplicem Christi voluntatem.*

§. 6. *Alterum, quia per illam non evertebantur Patrum, & Conciliorum voces, ſed diſpenſabantur.* SCRŪTIN. VII.

§. 7. *Tertium, quia mala plurima imminebant Eccleſiæ, ſi Honorius illico decreviſſet duas in Chriſto voluntates & operationes.*

§. 8. *Quartum demum, quia plures alii Patres uſi ſunt aliquando œconomiis.*

§. 9. *Qua occaſione breviter indicatur, quænam, & quando poſſint ille laudabiliter induci.*

§. 10. *Oſtenditur etiam potuiſſe Honorium damnari ob nimiam communicationem cum Sergio, & laudes immeritò præſtitas eidem.*

§. 11. *Subnectimúſque, quibus laudibus vel hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus poſſit extolli.*

§. 12. *Non modicùm officit Honorio ambiguitas & obſcuritas epiſtolarum.*

§. 13. *Quibus omnibus motivis ceſſantibus, potuiſſet adhuc damnari in utilitatem totius Eccleſiæ.*

§. 14. *Phraſes verò, quibus damnatus agnoſcitur, ſunt benignè exponendæ, nec accipiendæ in toto rigore.*

SCRUTIN. VII.

§. 15. *Consultò tandem abstinemus à duplici quæstione. Prima, an Pontifex possit à Synodis proscribi.*

§. 16. *Altera, an defunctus in Ecclesiæ communione possit anathematizari. sicque absolvitur Scrutinium.*

Inquiritur jus anathematis in Honorium inflicti.

§. 1. SATIS, opinor, in facto fumus immorati. Jus modò tractandum aggredimur, inspecturi an in Honorio & in epistolis ejusdem deprehenderint aliqua Patres sextæ Synodi, propter quæ potuerint non illegitimè anathema contorquere. Quia tamen Honorium ab errore dogmatis superiùs vindicavimus, secuti Joannem quartum, sanctum Maximum & Anastasium: ideo aliud iter nobis est ineundum, ut de justitia damnationis judicium feramus. In quo quidem non modicùm decipitur quisquis existimat, ob hæreses solummodo damnatos esse quicunque leguntur in Conciliis vincti anathemate: potest enim unà cum hæreticis damnari fautor hæreticorum; quique, licèt in dogmate Catholicus; fomentum præbet hæresibus, communicans cum hæreticis, vel nimis in-

Potest aliquis ex pluribus titulis damnari.

dulgens iisdem, si præsertim ex officio teneatur in eos acriter obniti. Nobis igitur videndum erit in hoc Scrutinio, an Honorius fomentum dederit Monotheliſmo, & an de illo bene dixerit Leo secundus, in epistola ad Episcopos Hispaniæ, quòd *flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxerit, sed negligendo confoverit.* SCRUTIN. VII.

§. 2. ET quidem primo aspectu sese offert examinanda Honoriana silendi œconomia. Approbat Honorius, & commendat in utrisque suis epistolis consilium Sergii, seu veriùs inventum impietatis, de silentio quà Catholicis, quà hæreticis adhibendo cùm circa unam, tum circa geminas in Christo voluntates & operationes. Quod etiam conatus est Sophronio persuadere, ut apparet ex fragmentis suæ secundæ epistolæ. Hanc silendi œconomiam quantonam odio fuerint prosecuti in omni prorsus circumstantia Patres orthodoxi, qui viriliter obstiterunt Monothelitis; argumento est damnatio Typi per Constantem, seu veriùs per Paulum compositi, in quo vel ipsâ Diogenis la-

Proponitur Honorii œconomia.

Eadem œconomia acriter ex sensu Patrum impugnatur.

SCRUTIN. VII. ternâ nil unquam invenies damnabile, si semel dempseris silendi dispensationem : in hanc quippe præcisè tendunt omnia fulmina contorta à Patribus in Typum , quam ea de causa præsertim anathematizaverunt , quòd *cum perfidis hæreticis & orthodoxos Patres abjiceret , & cum sceleroſorum virorum vocibus , hoc est, una voluntate & operatione , pariter denegari faceret Orthodoxorum doctrinas , id est, duas ejusdem Christi voluntates & operationes*. Quæ sunt verba Martini in Conc. Later. secret. 5. qui non minùs absonum arbitrabatur silentium in hoc puncto dispensare , quàm & unam & duplicem à Christo expungere voluntatem & operationem. Non absimili de causa sanctus Maximus in collatione cum Theodosio Episcopo Cæsareæ silendi œconomiam , quæ præfertur in Typo , similem prorsus Honorianæ , hisce verbis confodit : *Quis fidelis suscipit dispensationem , taceri facientem voces , quas dici per Apostolos & Prophetas atque Doctores Deus omnium dispensavit ?* Et rursus in collatione cum Principibus in secret. Romanorum extollens vigilantiam in eadem proscribenda silendi dispensatione,

penſatione, hæc ait: *Non patiuntur Romani auferri unà cum impuris hæreticorum vocibus ſanctorum Patrum luciferas voces, vel ſimul cum mendacio veritatem extingui, aut cum tenebris lumen pariter diſſipari: nil nobis, quod adoretur, erit, ſi divinitus oſtenſorum fiat verborum ablatio.* Cur ergo dicere verebimur, prudenter proſcriptas à ſancta ſexta Synodo Honorianas epiſtolas ob hanc ſilendi œconomiam, ob quam unicè legimus, laudabiliter anathematizatum Typum Conſtantis? SCRUTIN. VII.

§. 3. HAC autem in re diligenter obſervandum eſt, diſtinguendumque inter diſpenſationes & œconomias, quæ poſſunt adhiberi in negotiis fidei. Vel enim eæ cadunt ſupra perſonas, de quibus urget hæreſis ſuſpicio, vel ſupra fidei doctrinas. Et quidem ſi de perſonis occurrat diſſenſio, non ita præcipitanter proſcribendus eſt ut hæreticus, qui apud ſedem Apoſtolicam ut talis defertur: ac proinde prudentiſſimè poteſt ingeri diſpenſatio quædam & œconomia, qua protrahatur illius damnatio, donec intimiùs res eluceſcat; quemadmodum ſanctiſſimus Pontifex Leo primus emer-

Diſtinguitur duplex œconomia.

OEconomia ſanctiſſimi Leonis Papæ in controverſia Eutychis.

SCRUTIN. VII.

sa hæresi Eutychiana, atque Eutyche per Flavianum Constantinopolis Episcopum synodicè damnato, ad eundem Flavianum litteras dedit, ut de tumultibus certior redderetur, suspendens interim damnationem, donec de rebus omnibus plenè agnosceret. Unde in epistola ad eundem Flavianum, quæ est octava Leonis, sic loquitur: *Necdum agnoscimus quâ justitiâ à communione Ecclesiæ fuerit separatus Eutyches. Sed respicientes ad causam, facti tui nosse volumus rationem, & usque ad nostram notitiam cuncta deferri: quoniam nos, qui Sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Et ideo fraternitas tua per idoneam maximè aptamque personam plenissima nobis relatione significet, quid contra antiquam fidem novitatis emiserit, quod severiori sententia dignum fuerit vindicari.* Hucusque sanctissimus Pontifex, qui etiam paulò post Legatos dedit, qui nomine suo litem Eutychetis interimerent. *Ad omnem causam* (verba sunt ejusdem Leonis in alia epistola ad Flavianum,

quæ est decima) *piè & fideliter exequendam fratres nostros Iulianum Episcopum, & Renatum Presbyterum tituli sancti Clementis, sed & filium meum Hilarium Diaconum vice nostra direximus, &c.* Quam etiam dispensationem & œconomiam differendi personales damnationes, donec de errore pleniùs constaret, prudenter imitati sunt Patres, qui Monotheliſmo nascenti obstiterunt: licet enim erumpentem hæresim illico damnarint, personas incolumes servarunt ab anathemate, donec jam desperatâ ad acriora remedia deventum est, & per Martinum Papam synodicè damnati sunt Monotheliſmi fautores Cyrus, Theodorus, Sergius, reliquique. SCRUTIN. VII.

§. 4. SI verò de fidei doctrinis occurrat dissensio, longè aliter res procedit; quippe si veritas aliqua impugnetur, quæ apertè contineatur in omnibus sanctis Patribus, quæque è sacrarum Scripturarum & sanctorum Conciliorum fontibus satis effluat abundè, nulla tunc opus est œconomia, aut silendi dispensatione, sed statim per quos spectat, est manifestè definienda: nisi fortè *Alterum genus œconomiæ.*

SCRUTIN. VII.

Hoc secundo genere œconomia nunquam usi Patres.

à decessoribus definita reperiatur; quando præsertim liquet, hisce fraudibus hæreticorum præcipites agi in foveas eorum quamplures ex Orthodoxis. Hoc pacto processere veteres Patres, quando novæ hæreses obortæ sunt: quod licèt longissima posset oratione patefieri, contenti erimus paucis absolvere. Erumpente siquidem Ariana hæresi, & Orientales plagas inficiente, nulla per Silvestrum Papam, per Alexandrum Episcopum Alexandriæ, per Athanasium, cæterosque sapientissimos Patres inducta fuit silendi œconomia seu dispensatio: sed statim Divinitas Verbi, quæ laniabatur ab Arianis, per encyclicas & Synodos sancita fuit, licèt inde tumultus imminerent non iis certè minores, qui erumpente Monotheliſmo instabant. Vix è tenebris emerserant Macedonii, Nestorii, Eutychetis, aliorumque hæretica deliramenta, quòd sanctissimi Pontifices Damasus, Cælestinus, & Leo, ac vigilantissimi Præsules, tum Orientales, tum Occidentales, nullâ interpositâ silendi dispensatione, nullâque inductâ silendi œconomiâ, quâ differretur ad tempus opportunum verita-

tis determinatio, festinanter dogmata Catholica definiere per epistolas & Synodos: parum interim curantes, quòd hæretici conspicerent fremitus, dummodo fidei candor non obumbraretur: optimè conscii, quòd *inferiorum culpæ* (verba sunt hæc sanctissimi Leonis in epist. ad Julianum, sive Januarium Episcopum Aquileiensem) *ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.* Quod quidem sanctissimi Leonis proloquium, oh! utinam in Honorium non caderet, qui licèt de Christo bene senserit, suis istis inopportunis dispensationibus & œconomiis dedit hæresi fomentum. Unde mihi videtur in illud genus hominum esse Honorius referendus, *qui* (uti loquitur S. Gregorius Nazianzenus orat. 21.) *animotenus pietatem colunt, si quid ipsorum verbis fidei habendum est; ulteriùs autem eam non proferunt, velutì mortuum quendam fœtum in materno utero extinctum.* non verò cum illis esse connumerandus, *qui in sacris litteris educati* (uti magnus effatur Basilius apud Theo-

SCRUTIN. VII.

Non satis est de veritatibus bene sentire.


image
not
available

Adversarii Honorianam hanc œconomiam, dicentes nullam ab Honorii tempore fuisse definitionem Conciliorum, nullumque Pontificum decretum, statuens apertè, duplicem in Christo reperiri voluntatem & operationem: quod adduci nullo modo potest ad excusandum Typum Constantis, cùm ad illum præcessisset Concilium Joannis quarti, hanc veritatem clarè definiens. Unde silendi dispensatio in quæstione de duplici Christi voluntate, potuit ab Honorio laudabiliter induci, utpote in re adhuc indifferenti; non autem per Typum potuit juberi, cùm jam ad illum præcessisset Apostolica veritatis definitio. SCRUTIN. VII. *Prima excusatio & defensio œconomiæ.*

Hæc Adversariorum conjectura non omnino foret contemnenda, quando nobis non supereſſent plura veterum monumenta ad illam apertè confutandam: cùm verò multa Patrum scripta adversus Monothelitas remanserint Dei beneficio prorsus inviolata, ex illis funditus evertitur. Primò quidem, quia nullibi Patres Monotheliſmi profligatores, ac præsertim Martinus Pontifex, & Abbas Maximus, Typi œcono- *Hæc tripliciter refundituir.* *Prima responsio.*

SCRUTIN. VII.

miam ex eo impugnarunt, quòd per ipsam everteretur Concilium Joannis IV. sed quia destrueretur doctrina sanctissimi Leonis, Concilii Chalcedonensis, totius sacræ Scripturæ, atque omnium Patrum, uti nos aperiemus, tum in hoc eodem Scrutinio §. 9. tum etiam in sequenti §. 3. Unde si Martinus & Maximus Typi œconomiam impugnant ex eo, quòd per ipsam destrueretur, vel saltem destrui præsumeretur Concilium Chalcedonense, doctrináque Leonis, sacræ Scripturæ, ac sanctorum Patrum; eodem modo per eosdem evertitur Honoriana dispensatio, cùm & hæc subsequens fuerit ad Concilium Chalcedonense & epistolas Leonis: ac proinde in easdem labitur censuras, in quas impingit œconomia Constantis. Secundò, quia Typi œconomia ex eo mordicus impugnabatur à Patribus, quòd silentium in dogmate unius aut duplicis voluntatis videbatur negatio, uti patebit §. sequenti: sicque unanimiter existimabant tum Martinus, tum Maximus, tum reliqui Monothelitarum hostes, idem prorsus esse definire, ne una vel duplex in Christo diceretur vo-

Secunda responsio.

luntas aut operatio, ac omnem penitus à Christo negare voluntatem aut operationem; quod absurdum non magis præsumi debet ex œconomia Constantis, quàm ex Honorii dispensatione: quam ob rem vel utræque absolvendæ, vel ambæ erunt damnandæ. Tertio demum, quia non minùs per œconomias Honorii, quàm per Typi dispensationes enervatur doctrina veterum sanctorum Patrum, qui asserunt unanimiter & apertè, duas esse in Christo voluntates & operationes, uti nos infrà probabimus Scrutinio sequenti. Unde si Patrum auctoritates vehementer impulerunt sanctum Martinum & Maximum, ut œconomiam Typi mordicus insequerentur; cur eædem Patrum auctoritates satis esse non potuerint, ut Honorianam œconomiam, adeo fidei pernicioſam, & hæreticis fomentum præbentem, ejecerint Præsules sextæ Synodi?

SCRUTIN. VII.

Tertia responsio.

§. 6. ARGUET tamen hîc aliquis inani zelo agitatus, & ita vociferabitur, non tolli per Honorianam silendi œconomiam veritates Catholicas, nec Patrum voces aboleri, sed tantummodo suspendi, & ad tempus dispensari, do-

Secunda defensio œconomiæ.

SCRUTIN. VII.

nec de opportunioribus remediis consultum foret Ecclesiæ.

Hæc secunda objectio retunditur.

Doleo, & quidem vehementer, orthodoxos Honorii defensores, ut illius excusent silendi œconomiam, ad latebras effugere, ad quas semet contulere perfidiores Monothelitæ, œconomiam Typi vindicaturi. Profectò eandem hanc excusationem inculcant adversus Maximum, & Troilus Patritius, & Sergius Eucratas, acres Monothelitæ, in collatione ejusdem Maximi cum Principibus in secretario. *Ne contristes*, inquiunt ibi, *Imperatorem, qui propter pacem tantummodo fecit Typum, non in ademptionem cujusquam eorum quæ in Christo intelliguntur, sed ad pacem silentium vocum, quæ faciebant dissensionem, dispensans.* Idipsum ante Troilum & Sergium Romæ objecerat Maximo quidam Gregorius filius Photini, ipse quoque Monothelita, in discursu habito cum eodem, cujus fragmenta referuntur in citata nuper collatione. *Non ablationem* (verba sunt Gregorii) *sacrarum Typus efficit vocum, sed taciturnitatem, ut dispensemus pacem.* Ecquid autem ad hæc respondere solitus Abbas Maximus? Exci-

Adversarii utuntur rationibus Monothelitarum.

pe, quisquis es, ô Adversari, quid ille Troilo reposuerit in collatione cum Theodosio, & eadem tibi sumito responsa. Troilo siquidem aienti: *In palatio dixi tibi, quia per Typum non interimit, sed taceri jussit, ut pace fruamur omnes*; respondens Abbas Maximus dixit: *Silentium verborum interemptio est verborum; per Prophetam enim dicit Spiritus sanctus: Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Et alibi retundens Gregorium, de quo nuper effati sumus: *Est*, inquit, *apud divinam Scripturam taciturnitas demptio.* Unde ex ejusmodi œconomia per Typum expressa usquequaque Patres intulere, quà unam, quà duplicem à Christo voluntatem excludi, atque operationem, ut evolventi Synodum Lateranensem, collationes sancti Maximi, & Concilium sextum apparebit: idem prorsus arbitrati de illis silere, ac illas negare; quod, me judice, verissimum est, quando de veritatibus agitur fidei, & à Patribus apertè definitis. Quam ob rem idem esset de dogmate Trinitatis aut Incarnationis silentium cum Judæis dispensare, ac eadem mysteria negare: corde SCRUTIN. VII.

SCRUTIN. VII. enim creditur ad justitiam, ore verò fit confessio ad salutem.

Tertia Recentiorum objectio pro œconomia.

§. 7. INTUEOR hîc commotos iterum Honorianæ œconomiæ pios defensores, plus meritis exaggerantes scandala maxima Christiano orbi imminentia, si primo impetu decrevisset Honorius geminas in Christo voluntates & operationes. Hæc ergo ut evitaret, consultò invexit silendi œconomiam. Ad id autem Honorium respexisse, testes sunt verba ejusdem in epist. ad Sergium. *Nos quidem*, inquit ibi, *secundùm sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere vel spirare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare.* Mox verò scandali radicem adaperiens subdit: *Ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut verò si rursus unam operationem D. N.* JESU CHRISTI *fatendam esse censuerimus, stultorum Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri judicemur.* Præterea, scindenda iterum fuisset, magno fidei detrimento, Ecclesiarum unio, & Occidentalium pax cum Orientali-

bus omnino lanianda, si acrioribus remediis obstitissent Honorius, emergentibus scintillis & faculis Monotheliſmi. Quisquis igitur animum Honorianum habuerit inspectum, & temporum deplorabilium circumstantias, vindicare cogetur Honorium à susceptâ silendi œconomia, nedum excusare. SCRUTIN. VII.

En quò iterum confugiunt Honoriani silentii vindicatores egregii! Qua manu sublevant Honorium, eâ quoque sublevent oportet Sergium, Cyrum, cæteróſque perfidiores Monothelitas. Ecquid aliud crebriùs inculcant Sergius in suis epistolis, Heraclius in Ectheſi, in Typo Constans, quàm ad id utrinque præcipi silentium, *ut scandala scinderentur; ut Lybia, Thebais & Ægyptus traheretur ad Orthodoxiam; ut pax fieret Ecclesiæ, quæ per hujusmodi tumultus laniabatur?* Cedo pugnæ, si mentiar. Quibus unquam coloribus conatus est Theodosius Cæsarienſis in collatione cum Maximo Typum execrabilem condecorare, nisi eadem objecta unione, atque Ecclesiæ tranquillitate? referens, *ea occasione factum esse, ut exponeretur alterna lis Orthodoxorum super operationibus* *Retunditur hæc tertia objectio.*

Etiam Monothelitæ pacem & unionem prætexebant.

SCRUTIN. VII.

& voluntatibus altercantium; & ut omnes pace mutua fruerentur, consideraverunt quidam hujusmodi voces silentio comprimendas. Quibus insuper aliis artibus Troilus Patritius & Sergius Eucratas, uti superiùs adduximus, eundem Typum defendere conati sunt, nisi dicentes, quòd *Imperator pacis intuitu illum ediderat?* Verùm Deo permittente factum est, ut Monothelitis pacem & indignam Ecclesiâ præferentibus, bello arderet inextinguibili per plurimos annos orbis Christianus. Quod pertimescens sanctus Maximus deplorat in collatione citata cum Theodosio his verbis: *Qui pariter cum scelestis & immundis hæreticis Sanctos ejecit, Deum liquidò cum diabolo pariter condemnavit. Itaque si examinantes novitates, quæ temporibus nostris effectæ sunt, eas ad hoc deveniisse invenerimus summum malum: videte ne fortè pacem prætendentes*, (nota bene ly, *pacem prætendentes*) *apostasiâ reperiamur languere.* Levis est non rarò ponderis ad ingerendam excusationem, præsertim in Episcopis Ecclesiæ, rectus animus & ordinatus affectus; quando videlicet ex nimia hæreticorum tolerantia, prudentis est oriundos pertime-

Non satis est ad excusandos Episcopos zelus & optimus animus.

scere majores in Ecclesia tumultus & dissensiones. Non ista sic fidenter assumerem, nisi ducem sequerer Concilium Lateranense secret. 4. ubi hujusmodi rectum animum & pacis Ecclesiasticæ desiderium in ferenda œconomia prætentum floccifaciens, in damnatione Typi hæc ait: *Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur, dissonantem autem virtutem intentui continet: bonum est namque proculdubio, & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones & altercationes pro causa fidei; sed non est utile & bonum cum malo destruere bonum, id est, cum hæreticis orthodoxorum Patrum verba & dogmata.* Hæc ego totidem verbis reposuerim vindicantibus Honorianam œconomiam ex recta auctoris intentione in illa præcipienda, & ex periculo novitatum tumultuúmque, si semel apertè decreta fuisset duplex in Christo voluntas. Parum cordi erat Ecclesiæ, Honorium ex animo recto sanxisse œconomiam; dum interim eo per conniventiam favente Monothelitis, rimas maximas illa patiebatur. Nihil intererat fidei, ut homines pravi, carnales, & novitatum amatores, qui-

SCRUTIN. VII.

Ex zelo sæpe mala nascuntur.

SCRUTIN. VII.

bus omnia cooperantur in malum, ſcandala paterentur, dummodo veritas catholica uſque ad ſanguinis effuſionem vindicaretur. Sileamus ergo liberum hominis arbitrium, diſpenſemus taciturnitatem de divina gratia, quia Lutherani, Calviniſtæ, aliíque hæretici capiunt offendicula. Profectò loquendum eſt de veritatibus fidei, vel etiam amputatâ linguâ, ut locutus olim fuit adverſus Monothelitas ſanctus Maximus, & ejus diſcipulus Anaſtaſius, nihili facientes ſcandala, in quæ ſceleroſi homines cæco impellente ſpiritu præcipites offendunt. Minora forſan credemus molitos eſſe ſcandala & Eccleſiæ ſciſſuras, Arium, Macedonium, Neſtorium, Eutychem, aliósque nefandos hæreticos, minora, inquam, iis quæ minitabant Monothelitæ? Minimè nequaquam; & tamen Deiferi Patres, Sylveſter, Athanaſius, Damaſus, Leo, aliíque plurimi rejecerunt, ut nimium molles, frigidas & Eccleſiæ indecoras hujuſmodi œconomias & diſpenſationes. Et quamvis de veritatibus ageretur nondum à deceſſoribus definitis, adhuc acriter primo impetu in hoſtes Eccleſiæ

clesiæ insurrexerunt, parum curantes, quòd homines impii tumultus sererent, dummodo veritas apertè decerneretur. SCRUTIN. VII.

§. 8. NEC his acquiescunt œconomiarum tutores, conantúrque suadere, hujusmodi œconomiis uti quandoque solitos, nec illaudabiliter, sanctos Patres & ipsam Ecclesiam. Testis est, inquiunt, œconomia magni Basilii cum Macedonianis, qui ut eos ad fidei rectitudinem evocaret, indulsit iisdem, ut de Divinitate sancti Spiritus servaretur silentium. Proferunt ulteriùs silendi dispensationes à Pontificibus laudabiliter inductas in materia conceptionis beatæ Virginis, & auxiliorum divinæ gratiæ, quas nefas est probris lacerare. Cur ergo proscribetur Honoriana? cùm isti præsertim consenserit orthodoxissimus Sophronius; ut affirmat Honorius in fragmentis suæ secundæ epistolæ, & Sergius in epistola ad Honorium. *Quarta vindicatio œconomiæ.*

Hîc etiam nostri Adversarii suppetias exigunt à Monothelitis. Profectò Joannes Constantinopolitanus, qui à Cardinali Baronio appellatur *Monothelitarum anteſignanus*, hanc ipsam viam *Adversarii suppetias exigunt à Monothelitis.*

SCRUTIN. VII.

ingressus est in epistola ad Constantinum Papam, in qua, ut excuset silendi œconomiam, quam indulserat Philippico Bardani, conatur ostendere, quosdam ex antiquis Patribus, ac inter eos magnum Basilium, laudabiliter invexisse hujusmodi dispensationes. Hæc tamen effugia nullatenus suffecêre, quin ipse saperet Monothelitam: unde nec hujusmodi latebris satis excusatur Honorius.

Qua sint damnanda œconomia, qua excusanda.

Quidquid autem de hoc sit, non omnes ego damnarim silendi œconomias. Honorianam damnaverim, vindicaturus alioquin Basilianam cum Gregorio Nazianzeno in oratione super hoc negotio. Ita enim Basilius cum Macedonianis se gessit, ut *licèt vocem Deitatis dispensaret ad tempus, adhuc tamen aliis vocibus à Scriptura petitis, testimoniisque minimè dubiis, eandem vim habentibus, necessariisque argumentis Adversarios ita comprimebat, ut nullo modo repugnare, atque in contrarium niti possent*, uti loquitur ibidem Nazianzenus. Nec ulteriùs abjicerem communicationem cum Judæis inductâ ad tempus œconomiâ, qua silentium utrinque servaretur de

hac voce, *Christus*, dummodo interim Messias appellaretur *unctus*, aut alio quopiam synonymo ejusdem significationis, eadémque claritate idem exprimente: quod est exemplum, quo utitur ibidem sanctus Gregorius Nazianzenus. Similem huic dicerem Honorianam œconomiam; quando scilicet in re omnino convenientes, de voce solummodo decertassent Orthodoxi & Monothelitæ: in quo casu non imprudenter dispensare potuisset voces geminæ voluntatis, dummodo concederetur, tum in divina Christi natura, propria & divina voluntas; tum in humana, voluntas itidem propria, hoc est, humana, quocunque vocabulo hoc appellassent; vel *duplicis appetitus volitivi*, vel *geminæ volendi facultatis*, vel alio appositò synonymo. Verùm cùm res ita non se haberet, nec lis esset de nomine inter Catholicos & Monothelitas, sed de re; cúmque nullum substitueretur synonymum æquè expressivum veritatis orthodoxæ; longè alia est Honoriana œconomia à dispensatione magni Basilii, qui cùm jam traxisset ad veritatem fidei Macedonianos, quos impugnabat, so-

SCRUTIN. VII.

Quo sensu potuisset Honorius silentium jubere.

SCRUTIN. VII. láque lis in nomine remaneret, prudenter iisdem indulsit, ut ad tempus sileretur Spiritus sancti Divinitas, dummodo alio synonymo à Scriptura petito id ipsum exprimeretur.

Œconomia Honoriana similis Arianæ.

. Videtur autem Honorii & Monotheliterum dispensatio similis œconomiæ, quam à Constantino Imperatore conati sunt, licèt inaniter, eripere Ariani, qua scilicet dispensaretur silentium, de voce, ὁμούσιον, nullâ interim aliâ substitutâ, quæ simili claritate æqualitatem & consubstantialitatem Verbi cum Patre significaret, quam proinde repulerunt enixè Patres orthodoxi. Hanc œconomiarum affinitatem, scilicet Arianæ & Monotheliticæ, agnovit sanctus Maximus in collatione cum Principibus in secretario, ubi ut impugnaret Monotheliticam, objecit Arianam. *Ariani*, inquit, *aliquando prætenderunt in scriptis sub Magno Constantino dicentes: Auferamus dictum unius substantiæ & alterius substantiæ; & uniantur Ecclesiæ. Non id admiserunt Deiferi Patres nostri; sed elegerunt potiùs persecutionem pati & mori, quàm tacere vocem comprobantem unam Patris & Filii & Spiritus sancti super-*

ſubſtantialem Deitatem. Quinimmo ut illam funditus everteret, Spiritu afflatus divino, œconomiam aliam proponit, auribus catholicis horrendam, ſimilem tamen Monotheliticæ, cui cognatam fateor Honorianam: *Siquidem* (verbis utor ſancti Maximi) *cras nefandi Judæi dicent: Diſpenſemus in alterutros pacem, & uniamur: & amputemus nos quidem circumciſionem, vos verò baptiſmum; & non jam invicem impugnemur.* Quiſquis ergo Monotheliticam, ſeu Honorianam vindicat œconomiam, quam Maximus impugnat, ſuſcipiat oportet (horreſco ſcribens) œconomiam cum Judæis, quam ex eodem Maximo retulimus. SCRUTIN. VII.

§. 9. SI verò ſilendi diſpenſationibus fas eſt Eccleſiæ quandoque uti, eæ laudabiliter ingeruntur, quando lis eſt de veritate minimè definita, vel quæ non immediatè eruatur à dogmate jam decreto, quæque in ſanctis Patribus anceps ſit, nec ex definitione ſacræ Scripturæ & Conciliorum decerni facilè poſſit, ſi præſertim in Scholis agitetur, & utrinque ſufficiens præſeferat ſpecimen veritatis, ut accidit in œconomiis conceptionis beatæ Virginis, & *Quo caſu poſſint induci œconomiæ.*

SCRUTIN. VII.

auxiliorum divinæ gratiæ, quas ultro conceſſerim ingeri prudentiſſimè à Pontificibus. Non verò quando lis eſt de veritate manifeſtè definita ab unanimi Patrum conſenſu, quæque facillimè & immediatè poſſit erui ex verbis ſacræ Scripturæ & decretis Conciliorum, ut accidit in lite duplicis in Chriſto voluntatis & operationis. *Certiſſimum quippe eſt*, (teſte Joanne IV. in epiſt. ad Conſtantinum) *quòd orthodoxi Patres, qui in toto mundo claruerunt, ſicut utraſque naturas, ita & voluntates & operationes Chriſti docere concordi prædicatione monſtrantur.* Quinimmo ſanctus Maximus progrediens ulteriùs hæc loquitur in collatione cum Principibus in ſecretario: *Per totam ſanctam Scripturam, tam ſcilicet Vetus, quàm Novum Teſtamentum, ſanctóſque Doctores ac Synodos edocemur voluntatis & operationis, tam in Divinitate, quàm in Humanitate, incarnatum Deum eſſe capacem.* Rurſus verò per hujuſmodi Monotheliſmum deſtrui decreta Conciliorum, aperietur Scrutinio ſequenti.

Sophronius quomodo acquieverit œconomiæ.

Quòd ſi quandoque Sophronius, ſeu veriùs Legati Sophronii viſi ſunt aſſen-

tiri œconomiæ Honorianæ, officium potiùs censendum est obsequiosæ obedientiæ Romano ac universali debitæ Pastori, qui eam consulebat enixè, quàm sincerus animi sensus: cùm aliunde meridiano sole clarius eluceat, sanctissimum Sophronium œconomiæ acquievisse, sed totis incubuisse conatibus, scriptis & verbis, ut veritas Catholica palam prædicaretur; hæresis verò unius voluntatis tolleretur è medio. Placet hîc claudere sermonem, quem de silendi dispensationibus habuimus, aureis quibusdam verbis Victoris Episcopi Carthaginensis in sua synodica ad Theodorum Papam adducta in Conc. Later. in qua sic evertit œconomias: *Imminendum est, ne torpore desidiæ oppressi, culpæ taciturnitatis teneamur obnoxii, & quasi favorem impendentes judicemur, dum adversa Catholicæ fidei propulsare negligimus. A beato namque Felice Apostolico vestræ Sanctitatis prædecessore dictum est: Negligere quippe, cùm possis, deturbare perversos, nihil est aliud, quàm fovere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Quàm bene! & oh! utinam hæc Victoris & Felicis

SCRUTIN. VII.

Aurea sententia Victoris.

SCRUTIN VII.

sententia, quemadmodum ad Theodorum pervenit, ita constitisset Honorio, qui forsan Felicis documenta feliciter executus, œconomiam semel conceptam abjurasset, & à Victore vinci minimè putasset indecorum.

Aperitur aliud fundamentum damnationis Honoriana.

§. 10. EGRESSI tandem è vastis finibus œconomiæ, aliud iter aggredimur longè brevius, ut justitiam anathematis in Honorium contorti comprobemus. Non abs re quis asseruerit, nimiam cum hæretico Sergio, vel damnato, vel anathematizatis pejore, communicationem, nimiúmque favorem præstitum eidem, fuisse maximo vitio adscriptum Honorio à Patribus sextæ Synodi: compertæ quippe singulis erant Sergianæ fraudes, quibus invexerat Monotheliſmum, nec latebant ejusdem conatus in illo firmando validiùs impensi: qua de causa Sergii acta præ cæteris execrabantur à Patribus, & ejus memoria à sexta Synodo probris maximis afficiebatur. Honorius ergo, non tantùm Sergium ab emerito anathemate reddiderat immunem; verùm etiam & non merentem laudibus extulerat, & illius diligentiam, seu veriùs callidi-

tatem, nullo jure commendarat. Quid igitur abſurdi, ſi repoſuerimus, hujuſmodi communicationes cum Sergio, & laudes præſtitas ejuſdem vigilantiæ, (qui licèt damnatus non eſſet, ejus tamen acta damnandum clamabant) plurimum detrimenti cauſæ Honorianæ attuliſſe, adeo ut inter reliquas propoſitiones Honorianæ damnationis addi potuerit à Patribus: *Quia Sergio in omnibus conſenſerat:* cùm non arbitrer ego minùs damnabilem, qui favoribus confovet, anathematizandum, quàm qui communicat cum anathematizato; ſi præſertim ſit is, qui ex proprio munere in aperiendis & ejiciendis fraudibus hæreticorum longè oculatior eſſe debeat animalibus à Joanne deſcriptis in Apocalypſi cap. 4. de quibus inquit, quòd *in circuitu & intus plena ſunt oculis.*

SCRUTIN. VII.

Nimia communicatio cum Sergio prodidit cauſam Honorii.

Poſſem hîc afferre ad id ſtabiliendum, canonicam legitimámque Liberii depoſitionem, qui ea de cauſa à Clero Romano juridicè nudatus agnoſcitur munere Pontificio, non quòd ille fuerit Arianus, aut inciderit in Arianiſmum, ut arbitror oppoſito probabilius; ſed quòd Arianis faverit damnans Atha-

Plures damnati ſunt ob communicationem cum hæreticu.

SCRUTIN. VII. nasium, & communicans cum iisdem. Possem & adducere fulmina à Benedicto Papa III. (uti scribit Nicolaus primus epist. 7.) contorta in fautores Photii, & in illos, qui cum eodem communicassent; ut inde probabile conficerem, tantò laudabiliùs à Patribus sextæ Synodi fuisse Honorio inflictum anathema, quantò major debet esse sollicitudo supremi Pontificis in vitanda communicatione cum hæreticis vel damnatis, vel necessariò damnandis, præ curâ, quâ premitur ad hoc ipsum peculiaris homuncio, vel etiam privatus Antistes: cùm tamen & in hos, ea tantùm de causa, non rarò contorqueantur fulmina, sicut eadem contorsit Theodorus Papa in communicantes cum Pyrrho, posteaquam hic Ravennæ operâ Exarchi ad hæreseos vomitum redierat, uti superiùs ex Theophane retulimus Scrut. 2. §. 16. Possem huc etiam transferre damnationem Theutgaudi Episcopi Treverensis, & Guntheri Colonienſis per Concilium quoddam Lateranense sub Nicolao primo, ea de causa contortam, quia *communicassent, conversati essent, & locuti* cum Ingeltruda

uxore Bosonis Comitis, quæ fuerat à Pontifice damnata, uti legitur in vita Nicolai. Ab his ergo, aliisque, licèt efficacibus, at extraneis, libens abstineo, contentus producere unum, aut alterum exemplum ex visceribus Monotheliſmi petitum. SCRUTIN. VII.

Primùm mihi suppetit Theodorus Papa, Monothelitarum hostis acerrimus. Hic ergo in epistola ad Episcopos, qui Paulum Constantinopolitanum consecraverunt, conqueritur acerbè, fuisse ab illis consecratum Paulum, adhuc Pyrrho superstite, nec synodicè deposito à sede Patriarchali. Eos igitur hortatur enixè, ut Pyrrhum deponant, ne Pauli electio sit obnoxia tumultibus. Verùm ne injusta putaretur Pyrrhi depositio, subdit Theodorus: *Sunt capitula, quibus prædictus Pyrrhus canonicè potest ab omni sacerdotali ordine pelli. Primum quidem, quia Heraclium, qui anathematizavit Catholicam fidem & Patres orthodoxè sentientes, in literis suis laudibus extulit.* Quod ipsum inculcat iterum in epistola scripta ad eundem Paulum hisce verbis: *Non enim præsentia Pyrrhi necessaria est, ubi excessus ejus & scripta veritati re-*

Cur Theodorus Papa volebat ut Pyrrhus deponeretur.

SCRUTIN. VII.

pugnantia præstò sunt, utcùm de his dijudicatur, modis omnibus condemnetur. Primò quidem, quoniam Heraclium qui anathematizavit inviolabilem Orthodoxorum Patrum fidem, diversis laudibus extulit. Licuit igitur ex sententia Theodori Pontificis deponere Pyrrhum, quia Heraclium Imperatorem, licèt à nemine damnatum, laudibus extulerat? Liceat & Patribus sextæ Synodi Honorium proscribere, quia tum Heraclium, tùm Heraclio deteriorem Sergium, eorundemque consilia fidei perniciosa magnis laudibus affecerat, iis utens familiariter, quos damnare debuisset & execrari.

Theodorus arguit Orientales eo quòd Pyrrhum laudassent.

His insuper addiderim, quòd idemmet Theodorus acerbè queritur cum iisdem Episcopis, *quòd per suas litteras prædictum Pyrrhum sanctissimum nominaverint.* Et rursus in epistola nuper citata ad Paulum, *mirati sumus*, inquit, *quia Episcopi, qui fraternitatem tuam consecraverunt, sanctissimum illum in litteris suis dixerunt.* Quin immo sanctus Maximus in epistola ad Petrum Illustrem, eum obsecrat, *præcipere omnibus, ne Pyrrhum sanctissimum, vel almificum nominent. Neque enim tale quid sanâ regulâ eum vo-*

cari permittitur: à cuncta namque sanctitate cecidit, qui nimirum ab Ecclesia Catholica sponte prosiliit. Deus bone! usquene adeo ardenter increpari meruerunt Episcopi, qui Pyrrhum *sanctissimum* & *almificum* appellaverant? cùm hoc potiùs esset officii signum, & argumentum reverentiæ in dignitatem Patriarchalem, quàm amoris indicium & communicationis. Et argui non poterit Honorius, cujus erat Monothelitas damnare, quia Sergium alioſque damnandos hæreticos & laudarat, & hisce laudibus hæresim confoverat? Id quo jure negetur, nullatenus occurrit. SCRUTIN. VII.

§. 11. QUIA tamen Scrut. 2. & 3. pluries ostendimus, & Martinum, & Vitalianum, & ipsam sextam Synodum laudibus extulisse Constantem Imperatorem, licèt hæreticum & hostem Orthodoxorum; posset hîc aliquis insultare, & nosmetipsos nostris armis urgere, inquiens: Si licuit Patribus Constantem colere, cùm hîc apertè in fidem præliaretur; cur & Honorio non licuit Sergium laudare, nondum è vivis ereptum, quando præsertim iste non adhuc palam in Ecclesiam debac- *Proponitur difficultas.*

SCRUTIN. VII. chabatur? Sique rursus Joanni quarto fas fuit eundem Sergium jam in hæresi defunctum, *reverendæ memoriæ Episcopum* appellare; cur & Honorius non potuit eundem Sergium; adhuc superstitem, nec de pertinacia convictum, bene habere, & extollere laudibus, quemadmodum de sancto Maximo constat; ab ipso laudatum esse Pyrrhum, Sergio minimè meliorem, uti diximus?

Quomodo hæretici possint laudari.

Cogor igitur hîc paucis expendere, ut insultantes retundam Adversarios, discrimen maximum inter modos laudandi, quibus usi sunt, & Honorius ergà Sergium, & reliqui Patres erga Constantem, Sergium & Pyrrhum. Do libens, sine controversiis, à Martino, Vitaliano, aliisque Patribus honorificè habitum Constantem, licèt hæreticum; ac hostem Ecclesiæ: dent tamen & ipsi mihi, numquam ab iisdem Pontificibus approbata fuisse Sergii consilia, & Constantis inventa fidei perniciosa; quin immo ejusdem Typum fuisse turpiter anathematizatum ab ipsis illis, qui Constantem laudabant. Sique Joannes Sergium commendavit, nunquam tamen ab illo approbata sunt ejusdem

dogmata, & laudati conatus, quos pro Monothelitis excogitarat; immo Ecthesim ab ipso conflatam rigido anathemate confodit. At verò Honorius non tantùm Sergii personam, seu dignitatem Patriarchalem in Sergio laudavit; verùm & illius consilia, seu potiùs fraudes in odium fidei excogitatas & approbavit, & fidelibus amplectendas proposuit. Laudarunt alii in Sergio majestatem Episcopalem, sed simul ejusdem errores confoderunt. At Honorius laudavit non tantùm personæ gradum & dignitatem, quantùm calliditatem ejusdem; nec Sergii errores, quos in epistolis præferebat, ullatenus aperuit. Laudavit olim sanctus Maximus Pyrrhum; sed *hoc illi studium fuit* (ut de seipso loquitur Maximus in epist. ad Siciliæ Monachos) *non exasperare, sed magis lenire virum laudibus ad assentiendum iis, quæ piè secundùm doctrinam sanctorum Patrum tradita erant.* Unde cùm rem tandem desperatam agnosceret, ad anathemata projectis laudibus descendit. Non hic autem videtur fuisse scopus laudum, quibus Sergium donavit Honorius: quippe nec verbum poterit in

SCRUTIN. VII.

SCRUTIN. VII.

ejuſdem epiſtolis reperiri, quo conetur Sergium ab ebibito veneno unius in Chriſto voluntatis expurgare. Quin immo de quæſtione celeberrima unius aut duplicis in Chriſto voluntatis viliſſimè ſentit, quamvis ab ejus veritate penderet firmitas Concilii Chalcedonenſis & epiſtolarum ſanctiſſimi Leonis. Bene igitur poterunt excuſari Patres ob laudes hæreticis præſtitas, ad eum modum, quo paſſim excuſantur, qui laudant Origenem, Tertullianum, alioſque à fide profugos; minimè tamen poterit Honorius abſolvi, cujus laudes in Sergii fraudes tendunt, non in ejuſdem dignitatem.

Ambiguitas epiſtolarum Honorii plurimùm obeſt, cauſæ ejuſdem.

§. 12. QUID ſi etiam repoſuerim, ambiguitatem & obſcuritatem epiſtolarum Honorii cauſam ejuſdem prodidiſſe? Nil eſſe potuit fidei perniciosius, in controverſia tam gravi, & quæ plurimùm ad Eccleſiam intereſſet, quàm Honoriana verborum ambiguitas, & ſenſus æquivocatio, ob quam non omnino temere viſi ſunt Monothelitæ illum ad ſuas trahere, *qui*, ut objicit Pyrrhus in Dialogo cum ſancto Maximo, *ex verbis Honorii ſimpliciter acceptis ſibi*

sibi eum faventem arbitrabantur. Sicut etiam nec ineptè Constantinus asseruit, Honorium sibi contradixisse, ut habetur in sexta Synodo act. 18. in edicto fidei ab eodem promulgato. *Hujusmodi contagione* (scilicet Monotheliſmi) *Ecclesias contaminarunt etiam hi, qui ante nostra tempora sacrilegi Sacerdotes Ecclesias perversè gubernarunt. Sunt autem hi Theodorus, &c. & Honorius, qui fuit antiquæ Romæ Papa hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator.* SCRUTIN. VII.

Non abs re loquor. Ob hujusmodi verborum obscuritatem, ac fortè minorem, in hoc eodem Monothelitarum negotio rejecta est ab Eugenio Pontifice & damnata Petri synodica, quam Romam direxerat. Quinetiam Clerus Romanus viriliter obstitit, ne illa unquam ab Eugenio reciperetur, tristia minatus, si semel hoc dedisset executioni. Audiamus Anastasiii Librum Pontificalem in Eugenio, hæc de Petro Constantinopolitano dicentem: *Obscurissimam omnino direxit synodicam ad sedem Apostolicam juxta consuetudinem, non autem declarans operationes aut voluntates in D. N* JESU *Ob obscuritatem ejecta est Petri synodica.*

SCRUTIN. VII. CHRISTO. *Et accensus est populus & Clerus, eò quod talem synodicam direxisset, quæ minimè est suscepta, sed cum majore strepitu est à sancta Dei Ecclesia projecta; ut etiam nec eundem Papam dimitteret populus vel Clerus Missas celebrare in Basilica sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ appellatur Ad præsepe, nisi promisisset iis ipse Pontifex, minimè eam aliquando suscipere.* Nihil igitur vel novum, vel mirandum legentibus indicavi, asserens, potuisse Honorianas epistolas ob obscuritatem faventem Monothelitis à sancta sexta Synodo probris affici & proscribi.

Ob utilitatem Ecclesiæ poterat Honorius damnari.

§. 13. OCCURRIT tandem ad comprobandam justitiam Honorianæ proscriptionis utilitas Ecclesiæ, pro qua deberet esse in votis unicuique anathema fieri cum Apostolo pro fratrum salute. Negari, me judice, non potest sine manifesta petulantia, per Honorianam conniventiam in Monothelitas, plurimum detrimenti passam esse Ecclesiam. Ecquis igitur alienum arbitrabitur à legibus divinæ providentiæ, ut Honorii memoria probris afficeretur, qui per culpabilem indulgentiam fove-

rat incendia, sudoribus & sanguine piorum Sacerdotum & Pontificum extinguendam? Eo præsertim, quòd nullatenus acquievissent Orientales Episcopi, ut Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus legerentur proscripti, & Honorius, quem ut fautorem, nec omnino temere, usquequaque prædicabant, absolveretur. Certè Synodus Lateranensis Martini Papæ ea de causa non fuit ab Orientalibus suscepta, quia Patriarchas personaliter anathematizaret. Unde Theodosius Episcopus Cæsareæ in collatione cum Maximo de illa dixit: *Deus scit, nisi quia personaliter anathema posuit Synodus hæc, plusquam omnis homo recepissem illam.* Et in sexta Synodo act. 16. Georgius Patriarcha Constantinopolitanus enixè deprecatus est Episcopos Concilii, ut nomina decessorum suorum in anathematismis silerentur: quod tamen non est assecutus. Verba supplicationis ea sunt: *Ego, & pauci quidam sub sede mea venerabiles Episcopi propter dispensationem rogamus, ut si possibile est, nominatim non excommunicentur personæ in exclamationibus, id est, Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus.* SCRUTIN. VII.

SCRUTIN. VII. Satis ergo consultum fuit, ut simul cum Patriarchis proscriberetur Honorius, & sic demulcerentur aures Orientalium ad sextam Synodum alacriùs accipiendam, quam fortè repulissent, si spicula damnationis, quæ in Sergium alioſque contorserant, conjecta pariter in Honorium non aspexissent, in cujus epistolis, non deerant gravia damnationis capita, quæ illam excusabilem redderent & laudabilem.

Limitantur phrases damnationis in Honorium fulminata.

§. 14. HÆSIT tamen animus non parum (fatear ingenuè) præ manibus habens & evolvens oculis formulam damnationis, qua in sexta Synodo proscribitur cum suis epistolis Honorius: quippe quòd in ea videatur non tantùm errore facti, hoc est, negligentiæ, imprudentiæque, verùm etiam dogmatis insimulari. Dicitur enim inter alia, *Honorianas epistolas omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus; & à definitionibus sanctorum Conciliorum;* rursus, *sequi falsas doctrinas hæreticorum;* atque tandem *per illas confirmari impia dogmata Monothelitarum*: quæ quidem phrases dogmatis errorem impingunt apertè.

Hæc tandiu me deterruere, quandiu

phraſes longè horribiliores legi contortas in Typum, ſeu veriùs in Typi œconomiam, quam unicè Typus damnabilem præfert. Quoties enim ille in Synodis Lateranenſi & Conſtantinopolitana tertia ſugillatur ut *impiiſſimus*, ut *ſceleroſus*, ut *factus contra immaculatam Chriſtianorum fidem, & in præjudicium Catholicæ Fidei?* An non ſanctus Maximus ſemel & iterum inculcat, quòd *per Typum ejecta fuerint ſancta quatuor Concilia*, in collatione cum Principibus in ſecretario? Nonne reverendiſſimi Abbates Græci in Conc. Later. ſecret. 2. anathematizant Typum, quia *contra Orthodoxorum fidem factus eſt ex ſubreptione & falſiloquio Pauli?* An non Theodorus & Eutrepius tormenta plurima paſſi ſunt, quia *noluerunt contaminari in profano, & penitus ſine Deo Imperatorio Typo*, uti ſcribunt in Hypomneſtico Theodoſius & Theodorus Monachi? Dicant ergo nobis, quid aliud in Typo ſit his phraſibus impetendum, niſi ſola ſilendi œconomia, utpote fidei plurimùm perniciosa: cùm præſertim frequens ſit in Conciliis uſus exaggerandi, & plurimis titulis probriſque conficiendi quod-

SCRUTIN. VII.

Expenduntur phraſes, quibus Typus damnatus eſt.

SCRUTIN. VII. cunque extiterit, vel futurum agnoscitur Ecclesiæ damnificum. His adde, quòd hujusmodi phrases non tantùm cadunt supra epistolas Honorii, quantùm supra reliqua scripta Monothelitarum, quæ simul cum Honorianis anathematizantur. Unde satis est, quòd phrases illæ ferant Monothelitarum errores, licèt etiam eorum aliqua propriè cadat in Honorium.

Omittimus quæstionem, an Pontifex possit damnari.

§. 15. LIBENS abstinui ab universali quæstione, qua satis importunè solet inquiri; an & quibus casibus possint Romani Pontifices judicari & proscribi. Consultiùs autem arbitratus sum, supponere ex antecedenti Scrutinio tanquam probabilem Honorii damnationem; in hoc verò descendere ad jura quædam canonica, quæ peculiariter afficiunt ejusdem proscriptionem. Id unicè tamen addiderim, quod memini legisse me in collatione sancti Maximi cum Principibus in secretario. Objecerant hi, quòd Apocrisiarii Romæ veteris essent unanimiter suscepturi Typum Constantis. Maximus, utpote assuetus hujusmodi præliis, respondit, se nunquam sibi persuasurum, hoc illos esse factu-

ros, saltem de mandato Pontificis. Instantibus autem Patriciis, quid ipse foret acturus, si semel Apocrisiarii de licentia Præsulis Romani in scriptis habita id exequerentur: non aliis sanctus Maximus, ut hæc retundantur, utitur verbis, quàm illis Apostoli ad Galat. 1. *Licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Siquis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Et quid autem aliud sibi velit modus hic respondendi, nisi se quoque paratum esse ad anathematizandum Pontificem Romæ veteris, si semel hic Typum illum recepisset, in quo præcipiebatur silendi œconomia, & per hanc fidem everti præsumebatur? Nil igitur inconsonum, à Patribus sextæ Synodi juridicè damnatum Honorium, cùm sanctus Maximus paratus esset anathematizare Martinum, si semel hic œconomiæ Typi, quam expresserat Honorius, acquievisset. SCRUTIN. VII.

An defunctus in Ecclesiastica communione possit damnari.

§. 16. CONSULTIUS insuper duxi ab alia non minùs importuna quæstione penitus abstrahere; an scilicet possint

SCRUTIN. VII. contra defunctum in Ecclesiastica communione torqueri anathemata, quin priùs evidenter appareat, monitum nolle resipiscere, & in errore tandiu pervicaciter institisse, quandiu è vivis eriperetur. Libens etiam ab hac abstinui, eo vel maximè quòd hujusmodi fundamentum nutans est & labile, ad infirmandam Honorii damnationem, perinde ac non possit, saltem in utilitatem fidei, damnari cujusvis memoria, licèt in Ecclesiastica communione defuncti, si tamen in ejus scriptis capita damnationis occurrant. Afferet hîc aliquis ad illud labefactandum proscriptionem Origenis, & Theodori Mopsuesteni in Conc. V. qui tamen ambo, licèt apud Orientales glorioſæ forent memoriæ, adhuc damnati sunt post mortem. Hic alter adduceret Synodum quandam Alexandrinam, in qua post mortem leguntur anathemati subjecti Nepotianus Episcopus Ægypti, & Cerinthus Millenariorum Princeps. Hæc afferant alii; nos ab his consultò abstinemus, contenti solummodo reponere, eadem ratione vindicatum iri cum Honorio Sergium ipsum, (ut interim Cyrum ac

Sergii fama & existimatio.

Theodorum omittam) qui è vivis ereptus in communione catholica, in Concilio Romano per Martinum fuerit personaliter anathematizatus, quamvis apud Orientales celebris esset ejus auctoritas, tum propter ea quæ retulimus Scrut. primo; tum etiam propter operam egregiè præstitam, quando, obsessa à Scythis Urbe Regia, Chaganum & Rapsacem eorum Duces cum exercitu propulsavit, supplicationibus, jejuniis, atque orationibus munitus: quibus faustiter obtentis in ipsis Græcorum sacris honorificè illius recolebatur memoria, præsertim in festo sanctæ Mariæ quod appellant ἀμαδίτου, in memoriam sæpius liberatæ regiæ Urbis Constantinopolitanæ à Barbaris; tum demum ob insignem operam præstitam in emundandis unica die septuaginta quinque animabus Hæbreorum à sordibus infidelitatis, ilsdemque in ovile Christi reducendis, ut habetur in pia quadam narratione de Dominica imagine dicta Antiphonetes, seu sponsor, ac fidejubens, apud P. Combefis, fol. 611. Quibus addendum, quòd ipse Sergius sua scripta subjecerat censuræ Honorii, ac sedis Apostolicæ, per ea

SCRUTIN. VII.

Sergius sua scripta submittit censuræ Honorii.

SCRUTIN. VII. verba ſuæ epiſtolæ ad eundem : *Adhortamur vos, ſacratiſſimi, hæc omnia legere, & Deo placitam & pleniſſimam caritatem, quæ in vobis eſt, nunc quoque ſequentes, ſi quid amplius, minuſque inveneritis, hoc per datam vobis à Deo gratiam adimplere, atque per ſanctas ſyllabas veſtras, unà cum veſtra optabili ſoſpitate, quæque ſuper his verbis fuerint placita, ſignificare.* Si ergo nec obitus Sergii in communione Catholica, nec venerabilis ejuſdem memoria, nec zelus evocandi hæreticos, nec animus liber à pertinacia, nec ſuorum dogmatum ſubjectio cenſuræ Pontificis, reddiderunt immunem ab anathemate : cur inde proferemus amarulentiæ verba in Patres ſextæ Synodi damnantes Honorium, licèt defunctum in fidei communione, licèt memoriâ celebrem, licèt in lapſibus non inhærentem ? cùm præſertim ejus proſcriptio conduceret ad bonum commune totius orbis Chriſtiani, ob quod ſanctus Auguſtinus ad Bonifacium, *Si vera eſſent*, inquit, *quæ Cæciliano inferebantur, & manifeſtum eſſet contrarium aliquid ſtatui Eccleſiaſtico ſapuiſſe, etiam poſt mortem anathemati ſubjicerem.*

SCRUTINIUM VIII.

In quo aperiuntur leviores Honorii lapsus, & nævi quidam epistolarum ejusdem.

SUMMA SCRUTINII.

§. 1. *Aperiuntur leviores lapsus epistolarum Honorii; & quidem primus, quòd asserat, neminem ex Patribus geminas in Christo voluntates apertè prædicare.*

§. 2. *Unde ad hoc convincendum afferuntur aliquot Patrum clarissimæ auctoritates.*

§. 3. *Rursumque investigatur, an in Concilio Chalcedonensi sit eadem veritas definita.*

§. 4. *Lapsus est etiam Honorius in eo, quòd floccifecerit gravissimam quæstionem duplicis in Christo voluntatis.*

§. 5. *Licèt interim optimè sciret, hanc hæreticos invexisse, ut duplicem Christi naturam everterent.*

SCRUTIN. VIII.

§. 6. *Tertius nævus ejusdem fundatur in nimia facilitate ea singula credendi, quæ à Sergio ferebantur.*

§. 7. *Absolvitur tandem, Deo favente, & Scrutinium & Opusculum.*

Cur examinentur Honoriani lapsus.

§. 1. BREVITER absolvemus Scrutinium istud, eo vel maximè, quòd vel inviti rapimur ad detrahendum Honorio, ad id planè coacti pro defensione castitatis sanctarum Synodorum, & auctoritatis quorundam Pontificum, qui vel contorserunt, vel confirmarunt ânathema in Honorium, cujus nævos graviores & præcipuos attulimus in Scrutinio præcedenti: leviores, minimè tamen contemnendos, in præsenti reverenter aperiemus.

Honorius dicit, Patres solùm balbutiendo posuere duas voluntates.

Miror fanè, nec unquam desinam mirari, (salva semper veneratione tantæ debita Majestati) Honorium Pontificem, virum alioquin doctum, quique Clerum in multis erudierit, teste Anastasio, in suis epistolis asserere semel & bis, neminem è sanctis Patribus apertè docuisse duas in Christo voluntates & operationes, sed solùm quodammodo

balbutiendo id esse professos. Ipsum audiamus hæc aientem post expositionem controversiæ de una vel duplici in Christo voluntate & operatione. *Nisi fortassis*, inquit, *sicut præfati sumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes atque intelligentias parvulorum, quæ ad Ecclesiastica dogmata trahi non debent.* Inde rursus infert, voces geminæ voluntatis & operationis, utpote *novas*, & recenter *inductas*, Ecclesiæ scandala minari, nec esse inter fideles introducendas. SCRUTIN. VIII.

Hinc ego non opinor improbabile, quod in Honorii defensionem scribit Anastasius in Præfatione ad sua Collectanea, videlicet epistolas illas à Joanne Abbate, qui à secretis erat Honorio, fuisse de mandato Pontificis conscriptas & compilatas, ac proinde in illis texendis minimas partes Honorium fuisse sortitum. Quod si semel dicatur, vindicabitur quidem Honorius ab ignorantiæ nota, non tamen à lapsu imprudentiæ; cùm sit inexcusabilis in supremo Antistite negligentia, qua scilicet lites ad fidem pertinentes, & quæ maximas scissuras inducere possunt in Ec- *Per Anastasium Honorius non composuit epistolas suspectas.*

SCRUTIN. VIII. cleſiam, privati hominis judicio penitus conſignare; cùm potiùs exigat prudentia, ut nihil ab eo decernatur in graviſſimis de fide negotiis, abſque prævio quà doctiſſimorum, quà plurium virorum diligenti ſcrutinio, quin etiam abſque præexiſtenti fratrum conſilio: quæ ſingula viſus eſt Honorius omiſiſſe, & omittendo mala Eccleſiæ peperiſſe.

Patres apertè prædicant in Chriſto duas voluntates.

§. 2. QUOCÙNQUE tamen modo res hæc ſe habuerit, certiſſimum eſt, ſanctos Patres, non *balbutiendo*, ſed apertè definiendo, nec ad *informandas mentes parvulorum*, ſed ad erudiendos ſapientum intellectus, geminas in Chriſto prædicaſſe cum voluntatibus operationes; & conſequenter hujuſmodi voces nec eſſe *novas*, nec *recenter* in Eccleſiam inductas, ſed cum ipſis Eccleſiæ Patribus antiquiſſimis ortas eſſe. Ut id pleniùs evincerem, opus eſſet integrè tranſſcribere Concilium Lateranenſe, & Conſtantinopolitanum tertium; quinimmo ſi vellemus omnia proferre, pagina deeſſet & tempus: cùm de hoc ſexcentas protulerit Patrum ſententias unus Sophronius, ut obſervavimus ali-

bi. Consultiùs igitur ex omnibus illis seligam tres, eas tamen manifestissimas, ut inde compertum sit veritatem amanti, quantanam ejusdem veritatis & sanctorum Patrum injuriâ dixerit Honorius, eos de duplici in Christo voluntate & operatione, nonnisi balbutiendo, fuisse locutos. Primus esto sanctus Dionysius Areopagita, verè Deiloquus, in lib. de divinis nominibus, ut affertur in Conc. Later. secret. 5. ubi sic de mirabili Christi dispensatione: *Ex nobis integrè & substantialiter plasmari voluit Verbum, qui supra substantiam esse cognoscitur, & operatus est, & passus, quanta humanæ ejus operationi congruunt præcipua & probabilia. In his namque Pater & Spiritus nulla ratione communicavit, nisi qui dixerit secundùm benignissimam & misericordem voluntatem, & per omnem sublimissimam & ineffabilem Dei operationem, quam operatus est.* Hæccine *balbutientis* sunt, an potiùs apertè clamantis, esse in Christo operationem tum *humanam*, tum *sublimissimam* & *ineffabilem*, hoc est, divinam; & consequenter duas esse in Salvatore operationes? Dionysio juvat addere Grego-

SCRUTIN. VIII.

rium Nyſſenum relatum ibidem, qui adverſus Apollinarem hæc abundè de Chriſto profitetur: *Quoniam altera humana voluntas, & divina altera eſt, loquitur quidem ut homo, quod infirmitati carnis congruit, qui noſtras paſſiones ſuſcepit: producit tamen ſecundam vocem, excelſam & Deo dignam voluntatem confirmari, quam humanam propter ſalutem hominum volens.* An hæc fortaſſis Gregoriana verba pro duplici in Chriſto voluntate non appareant evidentiſſima? Scio quidem Theodoſium Cæſarienſem in collatione cum Maximo ultro fateri, in Salvatore Chriſto alteram eſſe voluntatem & alteram, minimè tamen duplicem. Inepta tamen iſta ſunt, & penitus indigna, ut in illis momentum temporis inſumam, eo vel maximè, quòd ut talia deridentur ibidem à ſancto Maximo, aſſentientibus etiam Patriciis, qui aderant collationi. Duobus hiſce venerabilibus Patribus tertium addiderim magnum Athanaſium, qui in ſermone contra Apollinarem inibi pariter adducto hæc pro intento noſtro conficiendo prædicat apertiſſimè: *Quando dicit: Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me*

me calix iste; non tamen mea, sed tua voluntas fiat; & iterum, Spiritus promptus est, caro autem infirma; duas voluntates hîc ostendit, tam humanam, quod est carnis, quàm divinam, quod est Deitatis. Horum omnium rationem, quam vocant à priori, suggerit inter alios sanctissimus Ambrosius serm. 2. ad Gratianum, ubi, *Nunquid*, ait, *ita potest minor, sicut & major operari? aut potest una operatio esse, ubi diversa essentia?* His aliisque fultus Patrum sententiis, congruentissimè dixit Joannes IV. in epist. ad Constantinum, quòd *Orthodoxi patres, qui in toto mundo claruerunt, sicut utrasque naturas, ita & voluntates, ac operationes Christi docere concordi praedicatione monstrantur.* Hinc ergo quisquis amat ardentiùs, Honorium ab hoc lapsu liberare, fas est ut damnet Joannem opposita sentientem; cujus tamen studium & vigilantia adversus Monothelitas longè probatior est Honoriana. SCRUTIN. VIII.

§. 3. NON hîc rursus omiserim observare, quòd Honorius in suis epistolis affirmet, nullam inter Concilia & Pontifices haberi definitionem geminæ

An à Concilio Chalcedonensi definita fuerit duplex in Christo voluntas.

SCRUTIN. VIII. in Christo voluntatis & operationis. *Non oportet*, inquit, *ad dogmata Ecclesiastica hæc retorquere, quæ neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ visæ sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Domini prædicare, quas neque Evangelicæ, neque Apostolicæ litteræ, neque synodalis determinatio super his habita visæ sunt terminasse.* An autem hæc ita se habeant, non adeo præcipitanter judicarim; duo nihilominus mihi assumo, ut omnino manifesta. Primum, quòd in Concilio Chalcedonensi & in epistolis sanctissimi Leonis definitum fuerit, apertissimè mansisse in Christo post unionem *ambas naturarum differentias & proprietates*: cùm constet, nemine Catholicorum prorsus reluctante, inter naturæ rationalis proprietates includi voluntatem, seu rationalem appetitum. Alterum est, quòd Patres omnes Monothelitarum profligatores supponunt ubique, duas in Christo voluntates & operationes fuisse à Chalcedonensi Concilio definitas. Testis esto Martinus in Conc. Later. ubi ait: *Oportet Monotheliſmum destrui, utpote contradicentem doctrinæ san-*

ctorum Patrum & definitioni Concilii Chalcedonenſis. Cui conſentit Deuſdedit Epiſcopus Caralitanus, qui pariter in eadem Synodo ſecret. 2. affirmat, duas in Chriſto voluntates fuiſſe ab eodem ſexto Concilio definitas. Quinimmo ſanctus Maximus progreditur ulteriùs, contendítque, *per uniuerſam Scripturam doceri nos duas in Chriſto voluntates*, uti Scrut. 7. ex ejus verbis retulimus: nihilque magis in ſuis Opuſculis inculcat, quàm per Monothelitas deſtrui definitiones ſanctorum quatuor Conciliorum. Unde in collatione cum Principibus in ſecretario, interrogatus à Troilo Patricio & Sergio Eucrata, cur non communicaret Throno Conſtantinopolitano, reſpondit, quia *ſancta quatuor Concilia ejecerunt per illa novem capitula, quæ facta ſunt Alexandriæ, & per Ecthesim, quæ in hac urbe à Sergio patrata eſt, & per Typum, qui nuper, id eſt, per ſextam Indictionem expoſitus.* SCRUTIN. VIII.

Quamvis autem hæc omnia, nec, opinor, inconſonè, poſſint explicari de mediata, ut vocant, determinatione, quemadmodum in Symbolo Apoſtolico quælibet fidei veritates implicitè conti- *In Concilio Chalcedonenſi ſatis proximè definita eſt in Christo duplex voluntas.*

SCRUTIN. VIII.

nentur, adeo ut nefas sit vel unum iota eidem superaddere, solúmque detur facultas Ecclesiæ Doctoribus illud explicandi; nihilominus negari certè non potest, in Concilio Chalcedonensi fuisse satis proximè damnatum Monotheliſmum. Quanta enim claritate ex hoc antecedenti: *Manserunt in Christo post unionem duæ naturæ cum suis proprietatibus*, quòd apertè definit quarta Synodus; non deducitur hæc illatio: Ergo manserunt duæ voluntates & totidem operationes?

Contemptus Honorii in gravissima quæstione.

§. 4. QUIS insuper nobiscum non miretur, secum evolvens nimium contemptum, quo processit Honorius in gravissima controversia unius vel duplicis in Christo voluntatis, ex qua pendebat firmitas Concilii Chalcedonensis, & eversio Apollinaristarum, Eutychianorum, &c. Quo enim jure, decernere quòd in Christo manserint post unionem duæ voluntates & operationes, appellat leve, *ineptum*, *otiosum*, & *grammaticale?* Audi verba Honoriana, & mirari desine, si potes: *Unius operationis vel duarum esse vel fuisse mediatorem Dei & hominum Dominum* JESUM

CHRISTUM, *sentire ac promere satis ineptum est.* Et rursus: *Utrum præter opera Divinitatis & humanitatis geminæ operationes debeant derivatè dici, vel intelligi, ad nos ista pervenire non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina vendicare.* Atque demum, veritatem indagantes de una vel gemina in Christo voluntate, *vanos* appellat *naturarum ponderatores, otiosè negotiatores, &c.* SCRUTIN. VIII.

Itane verò? *Ineptum* ergo putaverimus disertè fateri, quod universa sanctorum Patrum cohors ubique docet, & Orthodoxis prædicat ubique prædicandum? Asserant igitur consequenter, qui plus æquo vindicant Honorianas epistolas, perinde ac in omnibus sanctæ sint & irreprehensibiles, abs re prorsus & inaniter Sophronium, Joannem, Martinum, Maximum, Agathonem, aliósque sexcentos orthodoxos Sacerdotes, tot labores, tot curas, tot persecutiones pertulisse: cùm satis esset *ineptum* & *leve* ex Honorii calculo id *sentire* & *promere*, ob quod unicè tot ipsi labores obiêre, tot ærumnas. Rursus: *Grammaticale* putabimus, illud apertè profiteri, *Quàm gravis esset illa quæstio.*

SCRUTIN. VIII. quod erat unicè neceſſarium ad defenſionem Concilii Chalcedonenſis & epiſtolarum ſanctiſſimi Leonis, atque ad auferendum probrum Eccleſiæ illatum per Conciliabulum Alexandrinum, de quo gloriabantur omnes hæretici, uti nos ex Theophane obſervavimus alibi? Ad quid ergo tot Concilia & Romæ, & in Gallia, & in Britannia, & in Africa, & in Aſia à Patribus celebrata? tot encyclicæ huc illucque ab Epiſcopis tranſmiſſæ ſuper negotio Monothelitarum? tot legationes & ſupplicationes ab Africanis, Hieroſolymitanis, aliiſque ad Romanos Pontifices tranſmiſſæ? Ut quæſtio *grammaticalis*, & quæ ad *Grammaticos* pertineat, diſſolveretur. Hî ſunt legitimi ſenſus epiſtolarum Honorii. Demum: *otioſos negotiatores* illos nuncupabimus, qui tot incommoda laboréſque pertulêre, ut innumeras emerent animas Chriſtianorum, quas Sergii, Cyri, & infernalium graſſatorum tyrannica calliditas rapiebat? Profectò non *otiosè* negotiatur, qui non unâ tantùm, ſed innumerabilibus inventis pretioſis margaritis, hoc eſt, animabus, omnia vendit quæ poſſidet, & impen-

dit omnia, videlicet labores, ſudores, ſanguinem, ipſamque vitam, ut emat eas. Multoque minùs ut *vanus* haberi debet *naturarum ponderator*, qui ad defenſionem Conciliorum & fidei dogmatum exactam inſtituit Chriſti naturarum conſiderationem. SCRUTIN. VIII.

§. 5. HÆC autem omnia eò ſunt in Honorio graviora, quò magis ipſum non latebat, ad id præcisè Monothelitas inducere unam in Chriſto cum operatione voluntatem, ut unam pariter cum voluntate ponerent naturam. Et ex oppoſito Catholicos duas ideo prædicare cum voluntatibus operationes, ut geminas in eodem cum operationibus profiterentur naturas. Audiamus Honorium. *Nam qui hæc dicunt*, ſcilicet aut unam, aut duas eſſe in Chriſto voluntates; *quid aliud niſi juxta unius, vel geminæ naturæ Chriſti Domini noſtri vocabulum, ita & operationem unam, vel geminam ſuſpicantur?* Bene quidem & appoſitè. Cur ergo, ſi res ita ſe habebat, uſque adeo ſegniter adverſus Monotheliſmum inſurrexit? Conſultius fuiſſet illorum fraudes centenis oculis enucleare, ne Catholici per inſidias, ſicut exitus comprobavit, ra-

Non latebant Honorium fraudes hæreticorum.

SCRUTIN. VIII. perentur in hæresim : nec satis erat silentium utrinque præcipere. Nam in quacunque prorsus circunstantia (ut loquar cum Martino Papa in sua fidei professione) *in causa fidei non satis est falsum non pronuntiare, sed verum oportet confiteri.*

Honorii facilitas in acquiescendo impiis Sergii consilus.

§. 6. TANDEM non hîc omiserim considerare nimiam Honorii facilitatem, quam ipse præfert in suis epistolis, in assentiendo consiliis Sergii, & in credendis calumniis, quas ille multas in suis epistolis confinxerat. Scribit Sergius, extitisse Sophronium omnium dissensionum auctorem. Id Honorius non solùm non arguit, sed ulteriùs videtur comprobare. Nec satis excusatur objectâ facti ignorantiâ, cùm nihil occurrat indecentius, quàm Pontificem super aliquo facto decernere, cujus circunstantias nondum intimè calluerit. Si enim nascentes Monothelitarum impietates Honorium latebant, cur se dedit præcipitem in acquiescendo priùs consiliis Sergii absque priùs habita per Apocrisiarios diligenti novitatis inquisitione? Quid insuper? Confinxit Sergius in eadem ad Honorium epi-

ſtola libellos quoſdam Mennæ ad Vigilium Papam, in quibus una prædicabatur in Chriſto voluntas & operatio, quos etiam ubique locorum promulgavit, uti ſanctus Maximus aperuit in Dialogo cum Pyrrho. Detexitne tantam Honorius impoſturam ? Nequaquam. Abſtulit forſan hujuſmodi probrum quà Vigilio, quà ſedi Romanæ inflictum ? Minimè verò. Immo altum de hoc ſilentium in Honorianis epiſtolis : unde quod ſcribendo retundere tenebatur ex officio, viſus eſt comprobare ſilendo. His addito facilitatem, qua ſimilem Sergii calumniam in Sophronium adinventam deglutivit, quod ſcilicet Sophronius, etiam rogatus, nec unum potuerit exhibere Patrum teſtimonium pro gemina in Chriſto voluntate, cùm hoc non ſolùm eſſet falſum, ut oſtendimus alibi, ſed prorſus improbabile, ut ſcilicet ſimplex Monachus acriter obniteretur Patriarchis & Epiſcopis, nullo munitus aut ſacræ Scripturæ, aut Patrum teſtimonio. Quid plura ? Affirmat Sergius, neminem ex Patribus prædicaſſe duas in Chriſto voluntates : id & Honorius affirmat. Aſſumit ille, quòd ex SCRUTIN. VIII.

SCRUTIN. VII. determinatione hujus controversiæ nascerentur scandala : hoc & assumit Honorius. Inculcat Sergius ut aptam silendi œconomiam ; & hanc ut optimam confirmat Honorius. Illam Sergius studet persuadere Sophronio ; & hanc eandem conatur Honorius Sophronii Legatis imponere. Miscet ille in suis epistolis multa fidei contraria : hæc nullatenus impugnat Honorius. Rapit Sergius ut hæresis fautorem sanctissimum Leonem : hoc Honorius nullatenus arguit. Movet Sergius bella in Orthodoxos : Sergium laudat Honorius. O conniventiam indignam Antistite ! ô pacis zelum nimis inordinatum ! Quid inde mirabimur, si Patres sextæ Synodi proferunt, quòd Honorius eadem senserit, quæ Sergius ; sique Leo secundus affirmat, quòd *flammam hæretici dogmatis negligendo confoverit?* Has autem & alias plurimas Sergii calumnias & falsitates non ita promptè admisisset & credidisset Honorius, si secum considerasset, ex quibusnam genitoribus hæreticis sua Sergius traxerat incunabula ; sique ad leves Orientalium hæreticorum animos mentis oculos direxisset, & ad funestas

tragœdias, quas plurimas orbi orthodoxo exhibuerat illorum perfidia & petulantia, cùm ad id unicè quæstiones sererent in Ecclesia, ut inde tumultus colligerent, & pretiosam Catholicorum pacem funestarent. SCRUTIN. VIII.

§. 7. Hi sunt, quì occurrant in Honorianis epistolis leviores nævi, & lapsus; graviores Scrut. 7. aperuimus. Hos omnes, ut opinor, modestè retuli, maximo rursus animi mei mœrore, si ad Honorium respexerim, pro cujus gloria & incolumitate famæ, vel sanguinem libens effunderem: non minori verò mentis alacritate, si Concilium 6. 7. & 8. fuerim intuitus, & epistolas Leonis secundi: quæ singula ut casta probarem & illibata, duxi necessarium perstringere errores Honorii quà graves, quà leves: (salvâ tamen semper ipsius orthodoxiâ) ut saltem ex omnibus illis in unum collectis non agnoscatur impiè prolata sententia damnationis. Quod si semel asseruerimus superfluo zelo laborantes, & sextam Synodum antiquitati venerabilem evertimus, & aliarum omnium auctoritatem labefactamus. *Absolvitur Scrutinium & Opuscula.*

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

AGATHO

RECIPIT epistolam Constantini ad Donum. 114
Celebrat Romanum Concilium. 115
Circa quæ restrinxerit Legatis sextæ Synodi quidquam innovandi & mutandi. 235

ANASTASIUS.

Anastasius Imperator successit Philippico Bardani. 131
Fuit verè Catholicus, & Catholicam dedit synodicam Constantino Papæ Romano. *ibid.*

APOCRISIARII.

Romani Apocrisiarii malè habentur à Paulo. 74
Decipiuntur à Petro Episcopo Constantinopolitano. 101

ARMENII.

Apud Armenios viguit Monotheliſmus post celebrationem sextæ Synodi. 134
Celebrant Conciliabulum in favorem ejusdem. 135
Illud tamen pluries abjurarunt. 137

AUCTORES

Auctores Græci malè afferuntur ad proban-

dum, fuisse Monothelitas damnatos ab Honorio. 47
Iidem auctores cautè legendi. 48

B

BARDANES.

Bardanes Imperator invehitur acriter in sextam Synodum. 124
Celebrat Conciliabulum. *ibid.*
Deponit imaginem sextæ Synodi. 125
Ejus loco seipsum pingit & Sergium. *ibid.*
Comburit acta sextæ Synodi. 126
Mittit epistolam impiam ad Constantinum Papam. *ibid.*
Anathematizat Papas Romanos. *ibid.*
Insequitur Orthodoxos. *ibid.*
Tentat intrudere laïcum in Patriarchatum. *ibid.*
Cur tot impia gesserit in sextam Synodum. 128
Brevi moritur sacrilegus. 130

C

CATHEDRA PETRI.

Quo sensu ea sit infallibilis. 246
Sunt aptè explicanda loca, quæ pro illa afferuntur. *ibid.*

CHALDÆI.

Apud eos viguit Monothelismus. 132
Illum abjuravit Adam Chaldæus nomine Eliæ Patriarchæ sub Paulo V. 135

CLERUS.

Cleri Romani constantia in tuendo sancto Martino Papa. 83

Quàm essent validæ Cleri vires. 84
Ejusdem vigilantia adversus Bardanem Imperatorem. 130

CONCILIUM.

Plura Concilia celebrantur contra Monothelitas. 116
Concilium sextum œcumenicum in eosdem. 117
Quosnam personaliter damnarit sexta Synodus. 118
Acta Concilii sexti diriguntur ad Patriarchas. 121

CONGRESSUS.

Congressus Heraclii cum Paulo Severiano quo anno contigerit. 8
Congressus Heraclii cum Athanasio Jacobita. 9
Hi congressus invicem distincti sunt. 10

CONSTANS.

Constans Imperator favet Paulo. 77
Mittit dona sancto Petro. 104
Quo fine ea dona miserit. 105
Canit palinodiam de Monotheliſmo. 106
Romam accedens bene excipitur à Vitaliano. 107
Odio habet Constantinopolitanos. 108

CONSTANTINUS.

Constantinus Patriarcha Constantinopolis successor Joannis fuit Catholicus. 108
Constantinus Imperator filius Constantis rogatur à Monothelitis, ut deponat Vitalianum. 110

Hoc tandem indulget iisdem. 111
Qua de causa hoc indulserit. 112
Scribit Dono pro unione Ecclesiarum. 114
Interfuit sextæ Synodo. *ibid.*

CYRUS.

Cyrus Alexandrinus rapitur in hæresim à Sergio. 15
In quo sit maximè culpandus Cyrus. 18
Celebrat Conciliabulum Alexandrinum. 34
Corrumpit Patrum sententias. 37

D

DAMNATIO.

Potest aliquis ex pluribus capitibus synodicè damnari. 25
Limitandæ phrases, quibus Honorius damnatus est. 292
Expenditur damnatio Typi. 293

DEFUNCTUS.

An defunctus in Ecclesiastica communione possit damnari. 295
Plures ita defuncti damnantur. *ibid. & seqq.*

E

ECTHESIS.

Quid esset hæc Ecthesis à Sergio inventa & promulgata? 52
Monothelitarum conatus pro ea. 53
Mittitur à Sergio ad Severianum. 54
Damnatur synodicè à Joannne IV. 58

EPISCOPI.

Plures Episcopi rejiciunt jussionem Heraclii pro Monotheliſmo. 33
Multi ex iisdem rogant Theodorum Papam,

ut damnet Paulum. 73
Quæ vigilantia necessaria in Episcopis adversus hæreses. 262

EUGENIUS.

Eugenius Papa electus est ante obitum Martini Pontificis. 99
Non sedit legitimè, nisi eo defuncto. 100
Non approbat Petri synodicam. *ibid.*

EUTYCHES.

Hæresis Eutychis plurimùm favit Monotheliſmo. 147
In Eutychianiſmum lapsi sunt plures Monothelitæ. 149

G

GEORGIUS.

Georgius Constantinopolitanus fuit Monothelita. 119
Correctus est à sexta Synodo. *ibid.*
Interfuit eidem Concilio. *ibid.*

H

HÆRETICI.

Plures hæretici ante tempora Heraclii ponunt in Christo unam tantùm voluntatem. 2
Hæreticorum multæ sectæ debacchantur, habito per Cyrum Conciliabulo Alexandrino. 6
Quomodo possint laudari. 286

HERACLIUS.

Heraclius Imperator congressum habet cum Paulo hæretico Severiano. 7
Et alium habuit cum Athanasio Jacobita. 9

Confu-

Consulit Sergium & Cyrum in quæstione duplicis voluntatis. 13
In quo sit maximè culpandus. 18
Cur plurimùm faverit Eutychianis & Monothelitis. 23
Promulgat jussionem pro una in Christo voluntate. 31
Zelus inordinatus ejusdem in quæstionibus fidei. 32
Exponit Ecthesim non esse suam. 53

HONORIUS

Mitiùs æquo agit cum Sergio. 40
Non damnavit Monothelitas, nec Monotheliſmum. 41
Quæ fuerit ejus diligentia in eosdem. 42
In dogmate nullatenus erravit. 174
Vindicantur ejus epistolæ ab errore dogmatis. 176
Honorii doctrina cohæret cum doctrina sancti Leonis, Agathonis & Constantini. 178. *& sequentibus.*
Non abs re docuit Christum esse unum operantem. 185
Vindicantur quædam Honorii phrases ab errore dogmatis. 188. *& seqq.*
Concordat Honorius cum sancto Martino & Sophronio. 191
Non posuit in Christo unam voluntatem, sed novam voluntatem. 196
Quis scopus ejus in suis epistolis. 199
Quinam ex antiquis defenderint Honorii doctrinam. 207

Etiamsi errasset, error fuisset materialis. 207
Et quamvis errasset, formaliter non infecisset sedem Petri. 208
Damnatus fuit Honorius à sancta sexta Synodo œcumenica. 219
Auctorum sententiæ expenduntur circa Honorii damnationem. 211
Quinam agnoscant fuisse damnatum. 224
Solvuntur objectiones quædam negantium ejus damnationem. 263. *& seqq.*
Honorius plus æquo communicavit cum Sergio. 280
Ambiguitas epistolarum Honorii plurimùm offecit eidem. 288
Ob utilitatem Ecclesiæ poterat damnari. 290
Quàm immeritò dicat Honorius sanctos Patres, nonnisi balbutiendo, duas in Christo prædicare voluntates. 302. *& seqq.*
Non bene contempsit quæstionem duplicis voluntatis. 308
Qua facilitate consenserit Sergio ferme in omnibus. 312

I

JOANNES.

Sanctus Joannes Alexandrinus obstat Monothelitis. 33
Volebat Sergium deponere. 34
Joannes Constantinopolitanus Thomæ successor fuit Catholicus. 108
Joannes IV. Papa damnat synodicè Ectheſim Sergii. 58

In ſuo Concilio damnavit Monotheliſmum, non Monothelitas. 59
Scribit epiſtolam apologeticam pro Honorio. *ibid.*
Rogat Conſtantinum filium Heraclii, ut Ecthesim deponat. 60

L

Legati.

Ex Legatorum Agathonis ſilentio malè deducitur Honorium non fuiſſe damnatum. 227
Evolverunt privatim cauſam Honorii. 231
Legati Agathonis non admodum excellentes teſte Agathone. 233
An tradita ipſis facultas damnandi Honorium. 236

Leo II.

Leo ſecundus Papa recipit acta ſextæ Synodi. 121
Acriter invehitur in Honorium. *ibid.*
An ſint violatæ ejus epiſtolæ. 123

M

Macarius.

Tentat cum Theodoro, ut obliteretur è diptychis Honorii nomen. 110
Quanta eſſet ejus contumacitas. 186
Damnatus eſt à ſexta Synodo. 118

Maronitæ.

Apud Maronitas viguit aliquando Monotheliſmus. 138
Damnarunt ſextam Synodum. *ibid.*

MARTINUS.

Sanctus Martinus Pontifex damnat synodicè Typum Constantis. 80
Eludit Olympium Exarchum. 82
Ducitur à Theodoro Calliopa exul in insulam Naxiam. 86
Ductus Constantinopolim malè habetur ab hereticis, & eorumdem calumniæ in sanctum Pontificem. 90
Glorioſus ejus triumphus. 96

MAXIMUS.

Sanctus Maximus vindicat Sophronium à calumniis Sergii & Pyrrhi. 20
Quis, qualisque esset, quanta ejus doctrina, & auctoritas. 61
Disputat in Africa cum Pyrrho, & superat. 63
Vi rapitur ab urbe Roma, & ducitur exul Constantinopolim. 85
Calumniatur à Monothelitis. 87
Mittitur exul in Bizyam. 88
Contumeliæ, & exilia sancti Maximi. 89. 94
Ejus victoria, & martyrium. 95
Calumniatur in doctrina à Monothelitis. 166

MONOTHELITÆ.

MONOTHELISMUS.

Quis Monotheliſmus viguerit ante tempora Honorii. 4
Strictus Monotheliſmus incepit ſub Heraclio. 5

Monotheliſmum præceſſit ingens prodigium. 26
Fraus Monothelitarum in corrumpendis Patrum ſententiis. 36
Quanta eſſet Monothelitarum inconſtantia. 141
Monothelitæ non negabant humanitatem Chriſti eſſe operativam. 143
Ponebant in anima Chriſti potentiam volitivam. 144
Quo ergo ſenſu ponerent in Chriſto unam voluntatem. 146
Aliqui Monothelitæ lapſi ſunt in errores Manichæorum. 151
Plures Monothelitæ negarunt animæ Chriſti omnem motum. 154
Utebantur non rarò Catholicis exemplis ad decipiendum. 155
Quibus ii rationibus niterentur. 158
Quidam Monothelitæ à Chriſto excluſerunt omnem voluntatem. 164
Alii ex oppoſito tres poſuere. 165
Miſcebant fraudulenter hæretica cum Catholicis. 167. 187
Pugnant invicem Monothelitæ. 171
A quibus fuerit Monotheliſmus egregiè impugnatus. 172
Differentia erroris Monothelitici à doctrina Honoriana. 190
Corrumpunt epiſtolas Honorii. 193
Pacem, & unionem Eccleſiæ ubique prætexebant. 269

INDEX.

O

OECONOMIA.

Proponitur Honorii œconomia, & ex Patribus impugnatur. 255
Distinguitur duplex œconomia. 257
Alia laudabilis, alia culpabilis. 257. 258. *& seqq.*
Rejiciuntur quædam defensiones Honorianæ silendi œconomiæ. 263. 265
Quæ sint damnandæ, quæ recipiendæ. 274
Quo casu possint induci. 277

OLYMPIUS.

Olympius Exarchus Romam mittitur contra sanctum Martinum. 81
Nihil exequitur adversus eundem. 82

P

PATRES.

Sancti Patres apertè prædicant in Christo duas voluntates. 302
Affirmant definitas esse à Concilio Chalcedonensi. 305. *& seqq.*
Eorum scripta violantur à Monothelitis. 36

PAULUS.

Paulus invadit sedem Pyrrhi. 70
Extorquet laudes à Catholicis. 71
Tandem profitetur Monotheliſmum. 72
Promulgat Typum hæreticum. 75
Exhorret audiens mala illata sancto Martino. 90
Pœnitet, sed instar Judæ. 91. Ejus obitus. 92

PETRUS.

Eligitur in Patriarcham post Paulum. 92
Quot annis sederit. *ibid.*

Mittit ad Eugenium Synodicam. 100
Studet evertere ſanctum Maximum. *ibid.*
Triplicem in Chriſto ponit voluntatem. 101
Decipit Romanos Apocriſiarios. *ibid.*
Ob ſolam obſcuritatem ejectæ ſunt ab Eugenio ejus epiſtolæ. 100. 289

PYRRHUS.

Calumnia Pyrrhi in ſanctum Sophronium. 20
Pyrhus confirmat Ectheſim. 57
Pro ea celebrat Conciliabulum. *ibid.*
Victus eſt à ſancto Maximo in diſputatione Africana. 63
Romam acceſſit ſub Theodoro. *ibid.*
Abjurat fictè Monotheliſmum. 64
Redit paulò pòſt ad hæreſim, & damnatur à Theodoro. *ibid.*
Cur Pyrrhus ſe Patriarchatu abdicarit. 66
Receptus eſt à Theodoro ut Epiſcopus. 69
Pyrrhi obitus. 92

S

SERGIUS.

Sergius Conſtantinopolitanus trahit Cyrum in Monotheliſmum. 14
Serit undique callidas ſuggeſtiones. *ibid.*
Fingit libros Mennæ ad Vigilium. 16
Calumnia Sergii in Sophronium 20. 38
Quâ facilitate rapuerit in Hæreſim Orientis Epiſcopos, & Heraclium Imperatorem. 22
Sergii exiſtimatio in Oriente. 24
Natus eſt à parentibus Jacobitis. 22
Scribit callidè ad Honorium Papam. 40

Evulgat silendi œcónomiam. 51
Item promulgat Ectheſim. 52
Ectheſi præfigit nomen Heraclii. *ibid.*
Quanta eſſet ejus fama. 24. 296
Damnatus pluries ſynodicè. 118
Subjecit ſua ſcripta cenſuræ Honorii Pontificis. 297

SEVERINUS.

Severinus Papa rejicit Ectheſim ſibi à Sergio miſſam. 55
Status infelix Eccleſiæ Romanæ ſub Severino. 56

SOPHRONIUS.

Inſurgit acriter in Monothelitas voce & ſcriptis. 35
Diligentiæ ab eodem adhibitæ adverſus Monothelitas. 37
Celebrat Synodum in eoſdem. 38
Legatos mittit Romam. 39
Patitur calumnias Monothelitarum. 20
Vindicatur à ſancto Maximo. *ibid.*

T

THEODORUS.

Theodorus Calliopas Exarchus Romam mittitur adverſus ſanctos Martinum & Maximum. 82
Fingit calumnias in Martinum. 85
Theodorus Conſtantinopolitanus tentat ut expungatur è diptychis nomen Vitaliani. 110
Id tamen obtinet à Conſtantino. 111
Cur non interfuerit ſextæ Synodo. 119

An

An amiserit Patriarchatum ob causam Religionis. 120
Theodorus Pharanitanus in quo maximè culpandus. 18
Plura scribit pro Monothelitis. 19
Quis esset ejus Monotheliſmus. 156
Theodorus Papa recipit humaniter Pyrrhum Romam ex Africa venientem. 63
Absolvit illum, cùm hæresim in libello publico abjurasset. 64
Scribit ad Paulum Constantinopolitanum, ut Pyrrhum deponat synodicè. 70
Anathematizat Pyrrhum redeuntem in hæresim. 64
Theodorus damnat Paulum. 73
Cur vellet Theodorus, ut Pyrrhus deponeretur. 68
Arguit Orientales Episcopos eo quòd Pyrrhum laudassent. 284

THOMAS.

Thomas Constantinopolitanus Petri successor fuit orthodoxus. 108
Ut talis agnoscitur à sexta Synodo. 109

TYPUS.

Typus Pauli quid esset, & quæ calliditas Monothelitarum in illo serendo. 75
Impietas Typi refunditur in Paulum. 78
Damnatus est Typus à Martino. 80

V

VITALIANUS.

Dat litteras hortatorias ad Petrum. 102
Mittit Synodicam ad Constantem. 103

Recepit, nec ullo pacto debuit rejicere dona Constantis. 106
Suâ prudentiâ aperit ostium vnioni Ecclesiarum. 108
Ejus nomen ponitur in diptychis, indeque obliteratur. 110
Iterum à sexto Concilio in diptycha reponitur. 112

VOLUNTAS.

Quid intelligerent Monothelitæ nomine voluntatis. 142
Qualem voluntatem Monothelitæ ponerent in Christo. 162

Z

ZELUS.

Zelus inordinatus Heraclii Imperatoris. 32
Plurima mala inducit in Ecclesiam zelus inanis. 219
Non sufficit ad excusandos Episcopos zelus pacis, si sub ea lateant fraudes Hæreticorum. 270
Ex zelo superfluo mala sæpe nascuntur. 271
Non solùm Honorius, sed & Monothelitæ zelum pacis jactabant. 269. *& seqq.*

ZONARAS.

Explicantur quædam verba Zonaræ, quædam verò corriguntur in facto Monothelitarum. 84

FINIS.

Excudebat Parisiis GABRIEL MARTINUS, viâ San-Jacobæâ, sub Sole aureo. 1678.

SUMMA PRIVILEGII Regis Christianissimi.

CAUTUM est auctoritate Regis, ne quis in ipsius Regno, aliisve locis ejus ditioni subjectis, intra annos sex, à die publicationis exemplarium numerandos, Librum qui sic inscribitur, HISTORIA MONOTHELITARUM, ATQUE HONORII CONTROVERSIA, *per Joannem Baptistam Tamagninum*; absque LUDOVICI BILLAINE, Parisiensis Bibliopolæ, permissu excudat, aut vendat. Qui secus fecerit, mulcta ei indicta, prout ampliùs in ipso Diplomate Regio continetur, dato Parisiis die 8. mensis Februarii anno 1678. & signato de mandato Regis, JEANNIN, atque in Acta Typographorum Parisiensium relato die 16. Aprilis ab EDMUNDO COUTEROT, Syndico.

Prima Editio absoluta fuit die 18. *Aprilis anni* 1678.